FEDERICI BORROMÆI

CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

MEDITAMENTA LITTERARIA.



ANNO M.DC.XXXIII.



FEDERICI BORROMÆI

CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

MEDITAMENTA LITTERARIA.



N hac exercitatione ſcribendi, totaque republica librorum non minùs, quàm in quolibet alio mortalium negotio, videtur mihi cognoſci poſſe rerum omnium humanarum varietas, et inconſtantia, cùm ſcilicet in hoc ſtudio verſantibus accidant illæ ſæpe calamitates, et infortunia, de quibus numquam ſuſpicati fuiſſent, cùm ſcribere aggrederentur. Nam, cùm magnopere voluiſſent eos otij ſui fructus cuſtodire ac præſtare incorruptos ab omni tabe

vetustatis, tanta in eos desauijt iniuria temporis ipsius, vt miserè absumerentur, et perirent. Quòd si fortè damna vetustatis, et iniuriam effugerant, alios certè casus effugere non potuerunt, quin vel, mergerentur aquis, vel conflagrarent igni, vel quasi pars vilissima rerum, contumeliosè lacerarentur, aut laterent in angulis, atque penitus traderentur obliuioni, perinde ac si nusquam extitissent. Accedunt ad eas calamitates, quas modò memoraui, illæ quoque fraudes hominum, dum aut operum inscriptiones adulterantur, aut, quasi subdititij partus, immiscentur aliena nostris, aut importuni homines interpretationibus suis ita sæpe rem exponunt, vt primos, germanosque sensus in absurda quadam, et noua detorqueant, quæ operis auctor numquam excogitasset. Sunt hæc omnia grauissima scribentium damna, casusque prope miserandi; sed ferri tamen posse leuiùs videntur, quàm cùm commentatores ijdem planè ignari, quænam fuerit mens, atque sententia scriptoris, quidve ille potissimum spectauerit, velut à recta ipsius via deflectentes, peruersè consilium, et animum interpretentur. Atque in hac iniuriarum, et casuum iniquitate, videntur mihi posse operum auctores vti querimonia magni patris Basilij, qui, cùm nescio Epist. 79.

quid

quid ſibi affingeretur, veriſſimè à Salomone dictum illud fuiſſe aiebat; virum nempe ſapientem expoſitum calumnijs, earum incurſu ſæpe conturbari. Ac ſi veterum auctorum monumenta reſpicere velimus, et caſus eorum memoria repetere, crebras ſanè querelas eorum inueniemus, dum meritò expoſtularent, quòd ſcripta ſua non acciperentur ijs animis, atque ſenſibus, quos ipſi ad ſcribendum attuliſſent. Neſcio, an hi mei labores exigui fortaſſe, et obſcuri in manus hominum aliquãdo peruenturi ſint, an verò eoſdem harum calamitatum aliqua, caſusve infeſtus inuaſurus ſit. Verùm ſi acciderit illis, vt communem hanc ſortis humanæ conditionem vitare non poſſint, ita ego ſum affectus, vt præuiſa omnia infortunia ferre poſſim æquo animo, præter illud vnum, ſi non intelligant homines, qua mente, quove conſilio, quodque ſcribendi argumentum mihi ſuſceptũ fuerit. Ea nimirùm cauſa nunc fuit, quamobrem de tota mea ſcribendi ratione, conſiliove diſſerere pauca ſtatuerim, vt non ſolùm deſiderio meo ſatisfacerem, ſed etiam operum, et argumentorum neceſſitati. Fortaſſe dicet aliquis, potuiſſe nos hoc labore ſuperſedere. Ego contra diuturnæ taciturnitatis, et obſtinati fermè circa hæc mea Scripta ſilentij, quo ſemper

 antea

anteà ſum vſus, præmium hoc petierim, vt poſtquam deceſſero, condonentur pauca nobis verba, quamuis non prorſus neceſſaria videri poſſent. Ordo erit huius narrationis, prout argumenta ipſa librorum quadam inter ſe connexione mihi cohærere videbantur. Neque enim ſpectaui temporum ordinem, cùm nullam huius rei curam ad legentium animos pertinere cenſerem.



SACRARVM CONCIONVM Volumina Decem.



ONCIONIBVS hisce nostris initio Commentariorum titulum dederamus; eiusque tituli reddendam esse rationem puto. Cùm nos ea, quæ in concione dixeramus, mandare litteris aggrederemur, minimè consilium fuit explicate, ac fusè scribere omnia, quæ concionati eramus: capita tantùm, et puncta rerum custodire animus fuit; etiamsi id ipsum fusiùs aliquanto factum fuerit, quàm principio destinaram. Is aliquandiu scribendi cursus fuit, et ea Scripta Commentarios appellaui. Communicãdo posteà cum nonnullis aliquid de ratione studiorum nostrorum, varias de inscriptione illa opiniones audiebam; laudantibus nimirum aliјs, quòd ita conciones meas inscripsissem, alijs verò reprehendentibus. Reprehendebar ab illis, qui dicerent, orationem vniuersam esse diffusiorem, quàm Commentariorum nomen pateretur, meque totidem è superiore loco verba pronuntiasse. His ego Cæsaris auctoritatem opponebam, quem satis constaret, et narrationem alicubi dilatasse,

et

et minutarum rerum descriptione, instituti sui fines egressum, propiùs ad Historiæ consuetudinem accessisse. Laudabant autem alij tituli huius modestiam simul, et grauitatem, quo profiterer, esse me perscripturum non integras, et absolutas orationes, sed ipsa ferè rerum capita, quæ ad populum erudiendum pertinerent. Neque noua hæc inscriptio videbatur. Commentariorum enim nomen in arte dicendi nemini videri nouum potest, cum ipse Romanæ Princeps Eloquentiæ de quodam oratore ita scripserit; Ipsa illa censoria contra Caium Domitium collegam non oratio, sed quasi capita rerum, & orationis commentariũ paulò pleniùs. *Atque commentaria hæc haud parùm plena, quæ ab Tullio hoc loco nominantur, differunt ab alijs commentarijs, quos Lucianus nudos appellat. Nam priores illi pleniores vberioresque erant, hi autem restricti, et aridi, et ieiuni; quale opus vel imperitorum aliquis texere potuisset. Creuit postea labor noster et cura hæc in tantum, vel amplitudine rerum earum, quæ tractabantur, vel rationibus, et argumentis, et auctoritatibus, vt primam illã inscriptionem minimè conuenire Operi animaduerterem, cœpique cogitare aptius, et accommodatius aliquid. Sed in varias quoque diffi-*

Mar. Tullius de Claris Orat.

Lucian. in lib. de conscrib. Hist.

cul-

cultates incidebamus, titulum alium inuestigando, qui aptior videretur. Nam neque Dissertationes erant appellandæ, neque Homiliæ; et Sermonum nomen Latinæ linguæ consuetudine, sensum fortasse non habet eum, quem Italicè loquentes ei voci tribuunt. Est insuper illud animaduertendum, vix vllam esse vocem tam seueris legibus adstrictam, vt à proprio, communique sensu leuiter mutari non possit. Ideo, pro Annalibus Historias, et pro Diario Vitam dicunt, eaque nomina confunduntur inter se se ac miscentur. Placuit ad extremum Sacrarum Concionum titulus. Inscriptionem enim omnino nullam excogitare potuimus, quæ videretur nobis esse verior, aut modestior, aut magis ad conditionem Operis accommodata. Poterit tamen, si quis volet, inscriptione omissa, libros ipsos euoluere, si fortè aliquid inesse censebit, quod sibi cognoscendum putet. Quod summus Oratorum de Patria sua fortunis ab oratorio gestu minimè pendentibus olim dixit, id nos quoque de hac librorum vtilitate dicemus; non esse videlicet positam eam in vnius verbi pondere ac momento. Ac tantò securior sum ab hac parte, quantò expeditius fuerit alium subijcere titulum; idque faciet, si quis volet, me non recusante. Quòd si aliquis hunc damnare

ti-

titulum, siue inscriptionem vellet, is fortaße seuerè nimiùm ac duriter ageret. Quem enim primum in libro errorem siue mendum inuenit, rigidè castigare contendit. In scribendo, præcipua mihi circa elocutionem cura fuit, magisque sum in tota ratione dicendi versatus, quàm in copia rerum, et apparatu. Id autem rectè fecisse videor ipsius imitatione Tullij, qui de suis orationibus alicubi tale quiddam profitetur. Cùm enim elocutio poßit ad omnia transferri genera, et argumenta, sitque ipsa proprium munus oratoris, et caput artis vniuersæ, multò pluris est facienda, quàm nudæ res atque incultæ. Stylus ipse concionum, vt nitidus, legimusque eßet, operam dedi. Neque tamen vocem admisi vllam, quæ à communi patrij nostri sermonis consuetudine valde abhorreat, fugique, quantum potui, obscura omnia, peregrina, inusitata, nisi vbi tale quiddam admiscere necessitas cogebat. Non ego paruam eße laudem arbitror oratoris Hetrusci, qui duas inter se res diuersas ac pene contrarias coniungere possit; vt nimirum formis vtatur communibus, et eleganter idem dicat. Communia verba non semper elegantiam habebunt; sed qui in eo studio ætatem consumpsere, his facilè continget, vt quotidianis verbis vtendo, non careant

ve-

venùstate, et ornatu. Ornatus habere nimios non debet oratio de sacris rebus instituta. Nos tamen præcipuos quosdam linguæ lepores in hoc toto concionum Opere adhibuimus, cum ea quidem cautione, ne copia demeret orationi robur, et quandam quasi magnanimitatem, et fidem, quæ scilicet infringitur artificio deprehenso, et verbis anxiè conquisitis; quod mentis est otiosæ, nec satis ad persuadendi munus attentæ. Concionum opus hoc in decem diuisum Volumina, fortasse aliquis esse nimiæ molis dicet, meque commodiùs fuisse facturum, si quasdam ex vniuersa mole conciones delegissem, quas premerem acriore cura, et expolirem. Id sanè fuerat vtilius pro ea perfectione, et lima, quam breuia Scripta magis admittunt; ac profectò fecissem inconsideratè, si concionibus aliquam vnam immiscuissem ea deformitate, vt penitus à cæteris degenerare videretur. Nescio, an sit à nobis in hac parte peccatum: sed si peccatum fuerit, nulla certè videbitur venia propter Operis inæqualitatem, quæ tunc existit, vbi partes cum toto non cohærent. Quòd si consecutus fuero, vt hæc ipsa æqualitas constet Operi nostro; duas maximas opportunitates multitudo concionum habebit. Nam ordo diuersus, et artificium, et quidquid illud est, quod com-

muni nomine inuentionem appellamus; facilius in campo hoc latissimo conspici poterit, quam si intra fines angustos versaremur. Potest autem ea varietas inuentionis ad alia vtilis esse, quamuis diuersa, et remota à concionum nostrarum argumentis; sicque nouarum semper inuentioni rerum animus assuescit, ne gradu semper eodem incedamus, vnusque tenor orationis perpetuò retineatur. Altera erit opportunitas ex concionum multitudine, sicuti arbitror, admodum grata illis, qui ob diuturnam in eodem loco permansionem, eosdem semper ferè auditores habent. His proderit, et materies, et forma concionum apta varietate distincta. Quòd si habebunt ad manum meliora concionum suarum argumenta, poterunt saltem hinc petere aliquas dicendi formas, et ordinem, et orationis vincula, tropos, ornamenta, permotiones animorum, et si qua alia occulta, vel manifesta artis adhibere potuimus. Nescio, an assequi potuerim vllam partem earum rerum, quas vt assequerer, summa ope contendi, et elaboraui, varietatem nempe non in rebus modò, sed etiã in dicendi forma, in qua positam esse eloquentiam, antea demonstraui; vim orationis, quæ tanta fuit in Demosthene, vt violentiæ nomen haberet; suauitatem præterea, perspicuitatem,

splen-


splendorem rerum, et verborum, et veritatem quandam orationis, quæ significet, animi nostri sensum esse planè talem, qualem ipsa verba demonstrant. Aliquorum Voluminum diuisionem desumpsimus ex communi illa, et in scholis decantata Rhetorum diuisione, qua Iudiciale genus à Deliberatiuo, et Demonstratiuum à Judiciali, sicuti omnes nouere, distinguunt. Sed quoniam scio, hæc genera nequaquam ita esse distincta et separata, quin possint inter se coniungi ac misceri, sicuti à Demosthene, Tullio, et Gregorio Nazianzeno, cæterisque fuisse factum videmus, ideo non admodum anxia mihi cura fuit in eorum diuisione; neque angar magnopere, si quis concionem, quam ego retulerim inter Laudatorias, potiùs videri sibi Suasoriam dicet. Atque satietati fugiendæ, cùm aliqua Volumina eo, quo dictum est, ordine conscripsissemus, reliquis ordinem reliquimus eum, quem ipse temporum ordo dabat, prout conciones habitæ erant. Et quia circumscribitur angustis nimiùm finibus Italica terra, si cum toto terrarum Orbe comparetur, ne intra tales angustias labores nostri coarctentur, consilium nobis illud est susceptum, vt hæc concionum Volumina Latinè conuersa exhibeamus; iamque Opus est inchoatum. Facit tamen

Operis ipsius difficultas, et magnitudo, ne certi, ac destinati quidquam mihi esse promittendum putem. Fallaces namque spes hominum in medio sæpe cursu franguntur, occupatque nos vitæ finis tunc maximè, cùm longa vitæ spatia meditamur.



EXORDIA
PLEBANARVM
Visitationum.

TRACTATVS
AD HOMINES
Agros colentes,
ET
AD CLERVM
Plebanum.



VM Diœcesim inuiserem hanc nostram, composuimus hæc, quæ me perorante, familiarium aliquis excepit, atque custodiuit. Totidem ferè verbis perscripta sunt, quibus etiam dicta, et ex dictionis cursu nihil stylus immutauit. Et posse quemlibet animaduertere censeo, quemadmodum tam res ipsæ, quàm verba concionum harum conueniant, et locis, et tempori, et quod longè plus refert, eorum etiam ingenijs, apud quos habitæ fuerunt. Genus hoc dictionis oportebat esse ornamentorum inops, viribus plenũ, atque, vt ita esset, studuimus, ne si in alterutra parte redundaret aliquid, siue deesset, aduersùs decori leges peccatum esse videretur.

Omi-

Omisimus Patrum auctoritates atque testimonia, ob auditorum ingenia rudesque animos. Sanè nobis in huius rei cura sapißime Demosthenis ipsius in mentem venit, quem non ad principes tantummodo Atheniensium, et apud illum tanti nominis Senatum, sed ad minutam quoque plebem, et ad nauticam aliquando turbam concionatum fuisse recordabar. Non tamen ea res gloriam Oratoris imminuebat, et siue in obscura illa colluuione mortalium, siue in augustissimo Patrum consessu verba faceret, vtrobique Demosthenes erat idem, cui fortasse facilius fuit apud primores agere de maximis rebus, quàm apud infimos, obscura, et minima tractare. Praterea censeo, rarum esse, vt per abiecta, et plebeia peruagari possit oratio, quin abiecti item, et plebei nonnihil contrahat; neque parum erit, si nos in alloquijs huiusmodi popularibus remotum ab eo incommodo dicendi cursum tenere potuerimus.

TRAC-

TRACTATVS
HABITI
AD SACRAS VIRGINES
Decem Libris distincti.



VA occasione, quove initio scripserim hæc, explicabo. Postulat huius Pastoralis curæ munus, vt sacras etiam Christi virgines, quæ intra septa monasteriorum viuunt, sæpe de rebus Diuinis alloquamur, atque adeo ne pars ista officij nostri desideraretur, frequenter ad illa religiosa claustra concionati sumus. Ita, cùm diuersis temporibus diuersa quoque tractaremus, hi Libri, non animaduertentibus pene nobis, paulatim extitere. Virgines namque istæ, me inscio, munere defunctæ sunt, quod veterũ notariorum fuit, sicuti auctores testantur. Præterea, hæ sacræ virgines subiere vltro laborem et curam, quã inclytæ olim adolescentulæ monumenta Origenis conseruanda susceperũt, quemadmodum Eusebius refert. Conciones istas diuulgauere monasterijs impertientes; neque ego studijs earum aduersatus sum, vel quia turbari animos virginum nolebam, vel quia rem esse sibi fructuosam aiebant. At postquam vulgata esse hæc accepimus, cura nobis fuit, vt

in nostras manus venirent; atque nihil immutato scriptionis ordine, meliores aliquanto conciones istas fecimus, idque Latino etiam sermone vsi, vt extra Italiæ fines peregrinari possint. Ne Pythagoras quidem abnuerat, quin mulieres ad litterarum studia, cœtusque suos admitterentur: eumque sexum disciplina Christi etiã ad legendi, discendique, et scribendi fructum admittet, præsertimque is honos debetur feminis, quæ virginitatem suã consecrauere Christo. Conatus omnis noster fuit, vt salutis viam facilem, et expeditam, si fortè poßemus assequi, monstraremus; quod quidem, an vllo modo succeßerit, ignoro. Illud vtique videbam esse consentaneum, ne sacris virginibus, quæ sese intra parietes illos abdiderunt, laborem, atque difficultatem aliquam adderemus, sed potius eas releuare conaremur eo labore, quem iam sustinerent. Nam incommoda grauissima, quæ perferuntur, et aduersi sæpe casus, et perpetuũ animi certamen eam sæpe molestiam, atque tædium afferunt, vt longior aliquando producatur vita, quàm afflictæ mentes vellent. Ideo suauia magis, quàm aspera remedia sunt admouenda; cum minimè dubium sit, quin lætitia, et solatio indigeant omnes illi, qui Deum timent, atque in virtutis itinere progrediuntur.

DE

DE
SANCTORVM
LABORIBVS.



AM incohatum opus hoc habemus, et, prout incœpi, pergam, si per occupationes licuerit, vt festis anni diebus ad varia loca concionari possim. Valdè enim abhorret mihi animus à consuetudine declamatorum, quibus mos est exercitationis causa scribere, quæ numquam dixerunt. Atque postea fit inde, vt orationes illæ sapiant scholasticum, et vmbratile quiddam, quod ego in scriptis meis effugere magnopere contendi. Statuimus autem concionandi hoc, et scribendi munere, complecti celebritates eorum præcipuè Sanctorum, quorum nomina, et memoriam hominum animis maximè insidere arbitrabamur; ex quo fieret, vt eorũ vitæ tenerrimis sensibus audirentur. Neque tamen omittemus alios, quos censebimus, vel penitus non esse peregrinos apud hominum aures, vel non ita notos, vt nihil de rebus ipsorum afferri possit, quod legentium, siuè audientium animi non habeant iam anteà cognitum, ac propè familiare. Titulum operi fecimus DE *SAN-*


CTORVM LABORIBVS; namque constat, vitæ piorum hominum illustriorem partem esse labores, et ærumnas, et tormenta. Ac sicuti Gregorius Nazianzenus in laudatione Athanasij dixerat, laudari virtutem à se, dum Athanasius ipse laudaretur: ita nos dicere possumus, dum Dei amicos, operaque eorum litteris nostris includemus, facere non posse, quin ærumnas, laboresque eorum pariter includamus. Omnisque nostra cura in tradenda memoria eorum ferè consumetur narratione calamitatum, quas in hac vita pertulere graues, atque diuturnas.



DE

DE SACRIS NOSTRORVM TEMPORVM ORATORIBVS

Libri Quinque.



ON desunt antiquorum oratorum exempla, qui eam sibi pepererunt eloquentiæ gloriam, et famam, vt propria de ipsis historia texeretur; ac præter cæteros, Marcus Tullius Cicero, et Quintilianus, eiusmodi historias composuere. Sanè inest exemplis præcipua quædam vis ad permouendos animos, maiorque tribuitur hominibus ipsis, quàm præceptis auctoritas. Nos in hisce Libris secuti sumus temporum ordinem, quia cùm nostræ ætatis oratores percenseremus, quandam scribere historiam videbamur. Ac sicuti Marcus Tullius de oratorum paucitate conqueritur: itá licebit nobis pari fermè querela expostulare, quòd tam pauci concionatores extiterint. Nam cùm in omni ferè laudandarum artium genere plurimos reperias, qui omnia, quæ artibus illis continentur, scientia sint, et cognitione complexi, paucos admodum hæc nostra tulit ætas, qui magna cum laude concionarentur. Quòd si causam huius oratorum

paucitatis afferre aliquam velimus, ea fortaſſe poterit eſſe, quòd ex ijs rebus eloquentia conſtet vniuerſis, quibus in ſingulis excellere difficillimum eſt: atque ideò tàm rari perfecti oratores exiſtunt. Vt philoſophi nomen, atque perſonam ſuſtinere aliquis poſſit, minimè neceſſe eſt abeſſe balbutiem oris, aut gibbum, aut oculorum vitia, quæ omnia oberunt oratori, qui nullam eiuſmodi, nullamve aliam afferre deformitatem debet.



DE

DE CONCIONANTE EPISCOPO Libri Tres.



IHIL aliud ſpectant tres iſti de Concionante Epiſcopo Libri, quàm vt proprium ordinis illius eſſe concionandi munus probent. Id quibus argumentis effectum ſit, et quanta rationum, et exemplorum varietate, res ipſa demonſtrabit.




DE

DE ABSOLVTA COLLEGII AMBROSIANI IN LITTERIS INSTITVTIONE

Libri Sexdecim.

Non diuulgabitur Opus.



VM ego Collegium Ambrosianum fundaßem, videbam agendum esse mihi de artibus, atque facultatibus illis, quibus vnusquisque Doctorum addictus, atque destinatus eßet. Nam licet innumerabilibus prope libris artes, et facultates illæ pertractatæ sint, ita vt nihil addi posse censeremus, intelligebam tamen, non posse libros eos necessariam afferre lucem ad ipsius Collegij scopos, siue fines, ad quos Doctorum exercitationes, et studia pertinerent. Neque enim satis erat, aliquos ad scribendæ historiæ munus instituisse, nisi etiam moniti fuissent ijdem, et quasnam scribere historias deberent, et quibus præceptis vterentur, et quid potissimùm spectandum ipsis eßet; pariterque cæterarum facultatum hominibus sua separatim consilia, et monita tradenda à nobis erant. Quod qui-

quidem admonendi, et instituendi munus non erat nobis eo consilio susceptum, vt omnia complecteremur, quibus artes illæ continerentur, cùm in eo genere scriptores alij magna cum laude fuerint versati: sed ea tantummodo tractanda nobis erant, quæ propria essent huius Ambrosiani Collegij, vt nimirùm perciperentur inde fructus, et vtilitates, quarum causa rem totam excogitauimus. Certissimum autem experimentum vtilitatis vniuersæ, quam ex hoc Opere peti posse censemus, esset huiusmodi; si homines duo, pari vel ingenio, vel doctrina destinarentur in scopum aliquem, ita vt alter quidem vteretur eius Commentarij luce, alter verò eodem auxilio, et institutione careret. Ita nimirum in vtroque discrimen facilè intelligeretur. Quòd si monitis huiusmodi nostris vti volent Doctores, et ea sedulò custodire, minimè dubito, quin bonæ artes ex hoc Ambrosiano instituto plurimum splendoris adipiscantur. Non erit Liber ipse publicè diuulgandus, cum sit veluti vestis apta Doctorum tantummodò corpori, et priuatim ipsis accommodata. Perstringam tamen Librorum argumenta, quæ in hisce Libris proposui, et tractaui. Sunt autem eiusmodi.

CON-

CONSTITVTIONES COLLEGII, AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

ADDITAMENTA AD PRIMAS COLLEGII AMBROSIANI Constitutiones.



EGVLÆ istæ, siue Leges quandam hujusmodi originem habuere. Cùm aliquot ab hinc annos mecum ipse considerarem varios modos, et vias, quibus homines in bonarum artium studijs vterentur, videbar eos posse reprehendere, qui contenti mediocritate quadam per omnia vagantur genera, neque figendo pedem vnquam in vlla certa facultate, turbulenti semper et inquieti peregrinantur et errant. Inde ego cogitare cœpi, num fortè ratio iniri poßet aliqua frænandis, atque sistendis ingenijs eiusmodi, quorum alioqui tantum esset acumen, tantaque facultas, vt mira quadam in litterarum studijs efficere posse viderentur. Id ego vinculum,

D *et*

et frænum si potuissem iniycere mobilibus ingenijs, minime postea dubitabam, quin iam starem in limine pulcherrimarum, maximarumque rerum, veluti si Mercurius ipse nobis inani alchimistarum arte fixus teneretur. Ita cùm eius rei cogitationem ex animo deponere non possem, idque fortasse diuinitus fieret, multorũ annorum meditatione consilium illud agitaui, remque totam versaui solicitus in omnes partes, donec ope Diuina, et Sanctissimæ Virginis auspicijs, quam negotij totius Præsidem inuocauimus, feliciter absolueretur. Harum Regularum opportunitatem vsus ipse monstrabit, qui legum omnium est optimus magister. Nam assiduæ illæ recitationes, et labor ille semper in orbem recurrens, haud dubiè vim eam habebit, vt cogatur vnusquisque Doctorum quoddam assequi perfectæ litteraturæ decus, et laudem; quæ nimirum instituti nostri præcipuus est finis. Hæ Regulæ si compendio quodam essent adstringendæ, complecterer eas ego diuisione bipartita. Primum esset membrum de non variando studiorum scopo, quò spectat illud; SINGVLI SINGVLA, quæ verba nostrum in fundando Collegio consilium habent; alterum erat, ne vlla fiat intermissio recitandi simul, et ea, quæ recitata fuerint, in publicum edendi. Additæ sunt pœ-

næ,

næ, si quis fortè tardus, aut contumax, vel recitandi laborem detrectaret, vel recitationes ipsas suo tempore committere prælo recusaret. Et quoniam plura quotidie monstrat rerum vsus, quàm humanus per se animus excogitare possit, Additamenta quædam accessere, quæ cùm vim, et auctoritatem habeant legum, habent simul eam opportunitatem, ne quotiescunque addendum fuerit aliquid, leges ipsa litteris, interpositionibusvè turbentur. Corpus hoc Regularum, siue Legum, quia proprium est Ambrosiani Collegij, vulgari typis non oportebit; satis erit, si ad Dei gloriam, vtilitatemque reipublicæ, nostri homines inuiolabiliter hæc instituta custodierint.



PALLAS COMPTA, SIVE DE BONARVM ARTIVM CVLTV

Liber Vnus.



XIGVVM hoc opus quo animo accepturi ſint Litterati homines, neſcio, cùm aliquam interdum habeat ipſorum reprehenſionem. Sed ſimul ineſt ea lenitas, vt ſe ſe perſtrictos eſſe non magnopere indignari debeant. Nam conſulitur interea ipſorum dignitati, ac ſplendori, quò pulchrior virtus appareat, quam cæteris rebus ipſis eſſe chariorem ſcio.



SA-

SALOMON,
SIVE
OPVS REGIVM
Liber Vnus.



IV ego, multumque dubitaui, num conatum, siue studium, quod hoc Libro describitur, adderem cæteris Collegij Ambrosiani institutis; fuitque illa causa dubitandi, quia verebar, ne homines illi, qui scientiæ huic tam nobili, et exquisitæ addicti fuissent, procliui transitu delaberentur ad superstitiosas obseruationes, alchimistarumque vanitatem. An verò iusta mihi fuerit causa timendi, facilè Liber ipse demonstrabit. Dicet aliquis fortasse, numquam fore tempus, cùm inuentum hoc nostrum ad consuetudinem aliquam vsumve deducatur. Huic ego respondeo, laudabilium consiliorum auctoribus non semper id esse spectandum, et eos, quorum stylus, et industria rerum aliarum inuentioni desudauit, nequaquam id sibi propositum habuisse, vt protinus inuenta sua fructus ipse consequeretur. Sciebant enim summæ virtutis viã paucißimis mortalium notam esse. Ac ferme

ita

ita contingit, ut magnæ res, et inuenta præclara diutißime sectatores nullos habeant, donec, voluentibus postea sæculis, nascitur ille, quem Diuina Prouidentia rebus illis destinauit.

Absit igitur procul ab animis, mentibusque nostris humilis, et ieiuna illa cogitatio, quæ pusillos potiùs homines decepit.



DE

DE PRVDENTIA IN CREANDO PONTIFICE MAXIMO

Liber Vnus.



VM hac scribere aggrederer, in ancipiti versabar cura, idque magnis de causis, num rectè facturus essem. Sed vtique existimabam, non esse mihi committendum, vt paterer ea perire, quæ spatio multorum annorum in multis Pontificijs comitijs animaduerteram, atque collegeram, cùm Cardinalis interfuissem. Itaque statui, etsi non foret perfectum, et absolutum opus, non tamen fore contemnendum, dum scilicet ea narraremus, quæ nobis accidissent, quæve ipse fieri vidissem. Solent enim admodum placere hominum animis eiusmodi narrationes, quibus insunt prudentiæ lumina, et maximarum rerum vtilitates, si considerentur.

CAN-

CANTICORVM EXPLANATIO IVXTA LITTERARIVM SENSVM.



N huius principio Libri consilij nostri rationem exposuimus, quo consilio Commentationem hanc aggrederemur. Iam aliquot ante annos fuerat mihi suscepta cura, vt scriptum hoc diuinum Notationibus quibusdam illustrarem. Eas nuperrimè Notationes in manum sumpsi, addendoque multa, scripsi Volumen hoc, cuius mei laboris pœnitere non venit adhuc in mentem. Carmen enim illud Salomonis altissimos sensus, eosdemque obscurißimos habet. Non me latet, ætatis nostræ homines libentius conferre studiū suum ad ea perlegenda, vnde supellectilem rerum, et concionandi copiam haurire poßint; atque sacrarum Litterarum explicationes eas, quibus absit ea copia, steriles quodammodo esse, et nudas existimari. Verum ego consilium hoc dederim, vt sensus prius ipsos inuolutos litteris probè perciperent; deinde viribus ingenij sui parare siluam illam locorum instituerent. Quod si ab illis ita fieret, inuenirent fortaße multa, numquam ab alijs inuenta, vel cogitata.

OB.

OBSERVATIONES IN APOCALYPSIM.



PVS hoc iam inchoatum in ſeptem diuidi Libros poterit, prout ſeptem etiam viſiones amplectitur, quæ ſunt argumentum Operis vniuerſi. Ipſi porrò Libri, licet exiguæ fortaße molis fuerint, multum tamen alioqui ſubtilitatis, atque myſteriorum habebunt. Litterarium præcipuè ſenſum explicandum ſumpſi; neque dubito, quin lucis aliquid huic obſcuriſsimo Libro noſtra hac induſtria poſſit afferri; quem Librum non vno fortaſſe, continuatoque tenore diuinus Auctor ſcripſit, ſicuti ne viſiones quidem ipſas oblatas ei fuiſſe credimus, ita vt vna ſtatim alteram ſequeretur. Altiſſimæ res, et ſupra naturam poſitæ, recreant ſimul animum humanum, et affligunt, ſicuti declarant illa Prophetæ verba, qui poſt viſionem acceptam, dixit ſe emarcuiſſe, neque habuiſſe quidquam virium. Ideo, conſentaneum non videtur eße rationi, haſce altiſsimarum rerum illuſtrationes abſque vlla intermiſſione Sancto Joanni contigiſſe. Acceßit poſtea cura, vt in Capita diuiderentur, quæ Absolutum est Opus.

Capitum diuisio in toto sacrarum Litterarum corpore, principiò non fuerat; sed studiosi homines addidere. In hac explicatione dabitur à nobis opera, vt quàm planissimè omnia, et simplicissimè tractentur. Est enim ea simplicitas in primis apta et accommodata illustrandis locis, qui præcipua sint obscuritate, sensusque maximè abditos et latentes habeant. Neque enim indigent isti sacrarum Litterarum loci disputationibus, et subtilitate nostra, qua subleuentur: tantùm opus est, vt certa, facilique declaratione in communis intelligentiæ luce constituantur. Desiderabit aliquis fortasse crebriores auctoritates, atque testimonia Patrum: sed cùm extent eorum Commentarij contriti tot iam annorum vsu, minimè difficile fuisset, petitas inde auctoritates passim Notationibus hisce nostris inserere; quod et facere quilibet potest in suis scriptis, et plerique magna cum laude iam fecerunt. Verùm ego, si meam in hoc negotio curam, atque studium occupauissem, nihil sanè nouæ lucis ad illustrandos huius Libri sensus attulissem. Habebunt igitur studiosi homines simul obuias illas, præclarasque magnorum ingeniorum Commentationes, simul etiam additamenta hæc nostra, quibus si fructus aliquis inerit, poterit accipi, quasi noua res, et inexpectata.

pectata. Sin autem nullam eiusmodi vtilitatem habebunt, poterunt vel penitus omitti, vel etiã eruditè confutari. Opus ipsum Obseruationes inscripsi, quia si Commentarios, aut Explicationes inscripsissem, abhoreret eiusmodi titulus à visionum altitudine, quæ captum humanæ mentis excedunt. Obseruationum verò nomen, non omnia, quibus illæ contineantur, promittit, sed pauca tantùm, quæ magnis ingenijs ad reliqua præferre facem possint.



NOTATIONES IN DVODECIM PROPHETAS MINORES.



ITTERARIVM tantummodò sensum respiciunt hæ Notationes, quarum breuitati scribendi genus accommodare studuimus. Quòd si fortè alicui videbuntur obscuriores, huic cogitandum erit, tali argumento dictionem aliam minimè conuenisse, atque scriptas illis esse tantummodo, qui talium rerum iam mediocriter intelligentes essent. Varietate linguarum vsi non sumus, nisi vbi res ipsa cogebat, et vt nostra sententia confirmaretur. Etiam arguet aliquis fortasse, quòd nimiùm secuti simus Rabbinorum interpretationem, et Orientalium interpretatione linguarum sæpe nimiùm vsi fuerimus. Credere tamen oportet, vnica veritatis indagandæ cura id a nobis fuisse factum, quæ fuit ex illis elicienda locis, in quibus eam latere putabamus. Commenta, et mendacia, fabulæque Rabbinorum minimè sunt ignota nobis, et fatemur vltro tali vanitate scatere

li-

libros eorum. Habent multa tamem eorum libri, quæ studium hoc illustrare nostrum possint. Ac sicuti nutu Diuino factum est, vt profanæ scientiæ Diuinis inseruirent: ita possunt Commentaria Hebræorum nobis inseruire.



DE NONNVLLIS SACRÆ SCRIPTVRÆ LOCIS PASSIM VSVRPATIS.



I mihi propoſitum eſſet, vt confutarem eorum ſententiam, quorum in hoc Litterarum genere ſumma laus fuit, eßem ſanè reprehendendus. Sed nequaquam id conſilij nobis eſt ſuſceptum: tantùm id egimus, vt coerceremus nonnullorum hominum licentiam, qui ſacrarum Litterarum locos perperam interpretantur, neque adhibent eam iudicij maturitatem, quam tantæ res poſtulabant. Faciunt autem hoc, ſicuti quidem ego opinor, quia ſpectant communem, et exteriorem tantummodo verborum ſenſum abſque vllo diſcrimine, perinde ac ſi non ſacra Biblia, ſed quemuis alium librum euoluerent; eaque vberrima ſeges errorum eſſe ſolet. Errores autem ipſi poſtea quoddam veluti robur acquirunt, acciditque ita, vt ſequens ætas inducatur in fraudem eorum auctoritate, qui iam anteceſſere.

COM-

COMMENTARIA
IN SACRAM SCRIPTVRAM AD MORES CORRIGENDOS IVXTA VARIAS LINGVAS.



RÆCLARVM sanè Opus esset hoc, si extremam ei manum admouere possemus. Nam præter innumerabiles pene locos, et omnem moralis disciplinæ copiam, et nouos, inauditosque sensus, posset etiam esse veluti quoddam exemplar vtile illis, qui varietate Linguarum in concionando, siue scribendo vti vellent. Quem sanè Linguarum vsum animaduerti multorum imprudentia corrumpi passim, atque deprauari. Corrumpitur autem maximè, et deprauatur ab illis, qui Linguarum ipsarum ignari, volunt tamen eruere inde sensum aliquem, atque nituntur in eo vanis argumentis, et inani fundamento. Duplicem ego varietatem statui posse censeo; verborum alteram, dum ea diuersi interpretes diuersè interpretantur; Non absolutum Opus.

tur; alteram verò sententiarum simul, et verborum, quam efficit lectio planè diuersa; in quo tamen sciendum est, diuersas aliquando lectiones eandem vtique sententiam amplecti, et verbis aliјs significari rem vnam. Quodnam igitur statuere discrimen poterimus, quasve notas aßignare, vt falsa à veris, à solidis inania dignoscantur? Primum omnium nosse linguas ipsas oportebit, neque nosse tantùm, verùm etiam vsu diuturno contritas, atque familiares habere sacrarum Litterarum formulas, et solennem, atque vsitatam Diuini sermonis consuetudinem. Quod si nobis in hoc præclaro conatu tantum fortasse vita non suppeditabit, quantum res ipsa requiret; minimè absurdum fuerit aliqua saltem Operis vestigia reliquisse, quibus insistentes homines, non perinde occupati, totum opus absoluant.

DE

DE VITA PERFECTA

Liber Vnus.



RGVMENTVM *hoc ex eo mihi ortum fuit, quòd in magna librorum copia, quibus res eadem luculenter, et accuratè pertractata est, videbam breuia quædam, et necessaria, et veluti propria negotij totius præcepta desiderari. Inde scilicet mihi consilium fuit experiri, num posset hæc ipsa Christianæ perfectionis disciplina comprehendi præceptis, et punctis, quæ cui prompta essent, et religiosè custodita, is rectam insistere se viam sciret. An verò fuerim assecutus, ignoro: volui quidem certè. Addidimus huic libro quædam documenta spiritualis tyrocinij certis capitibus comprehensa. Demũ adiunximus quatuordecim præcepta, siue regulas, quas olim scripseramus, vt nonnulli præcipuæ pietatis sacerdotes ijs vterentur. Hæ regulæ grauiora quædam, et magis recondita ad Christianam perfectionem monita complectuntur.*

DE ACQVIRENDO ORATIONIS HABITV

Liber Vnus.



ACRVM hoc Opus nititur tantùm petitis ex philosophia rationibus, atque fundamentis, fitque inde gradus ad considerationem eam, quantum in hoc studio, et conatu mens humana possit assequi, si cœptis adnuat Deus, et si vires, et industriam ipsa suam adhibere velit. Fuit tamen ea nobis cautio, vt nodos, atque salebras interim vitaremus eas, quas philosophicæ disputationes afferre secum solent.



DE ASSIDVA ORATIONE

Liber Vnus.


TIMVLVM hunc excogitauimus, qui semper admotus animo, perpetuam meditandi materiã præberet, ac simul varias ipsius animi cogitationes ope diuina contineret, ne dissolutæ, ac remissæ vagarentur. Illud tamen admonendi sunt studiosi homines huiusmodi rerum, nisi connitantur ipsi quoque suis viribus, et pio conatu, nullum fore fructum ex vniuersa librorum copia, nedum vnica hac, et breuißima Scriptio emolumenti aliquid afferre poßit.

DE VARIO REVELATIONVM, ET ILLVSIONVM GENERE

Liber Vnus.



VM argumentum hoc viderem paucis admodum esse tractatum, ea res fecit, vt hoc ego scribendi munus aggrederer. Videbam enim posse nonnihil à me in medium afferri, quod vtile ac salutare posset esse illis, qui huiusmodi monitis indigerent. Sanè res fuerat diuturni studij, magnique laboris; sed fortasse excitabuntur alij, vt absolutè persequantur, et addant si quæ à nobis fuere prætermissa. Illud vtique non prætermittam, rarissima esse in vtroque mortalium sexu vera cælestis Gratiæ munera, quantum quidem ego perspicere potuerim ex consuetudine diuturna, crebrisque colloquijs eorum, qui magnum in hoc negotio nomen et famam habebant. Atque cùm attentissimam in hoc toto genere curam adhibuerim, in eam præcipuè partem attentus fui, vt obseruarem

eas

eas maximè notas, et ea potißimùm discrimina, quibus Naturæ opera ita distinguerentur à Gratiæ muneribus, vt certissima res, et quasi demonstratio quadam teneretur. Id si potuissem assequi, reliqua erat illa tantùm solicitudo, vt cælestem Gratiam à Dæmonum fraude dijudicare poßem, in quo non magna deinde esse difficultas videbatur. Sed animaduerti ego, Naturæ vim, habitusque diuturno vsu comparatos facere poße mira quadam, et magna, et inusitata. Ideò, vt argumentum hoc perfectè, et cumulatè tractari posset, opus fuerat alta profunditate scientiæ, à qua nos certè absumus.



AD

AD ARIDAM MENTEM EPISTOLA.



T animi mei necessitatibus remedium aliquod afferrē, capita quadam, et rerum puncta descripserā; ex quibus hanc postea Epistolam contexui. Ac sicuti ea mihi salutarem sanè medicinam attulit: ita sperare videor, utilem alijs etiam fore, si qui paribus animi morbis laborabunt. Fortasse nonnulla inerunt, quæ minùs grauiter, ac seuerè dicta videri poßint. Sed graue magni Salomonis dictum extat; Musica in luctu importuna narratio. *Quo dicto declaratur, oportere sermonem omnem ad eorum sensus, atque necessitates accommodari, quorum causa habeatur. Neque magna semper sunt adhibenda remedia, sed illa etiam, quæ communia, et quotidiana videntur.*

DE CHRISTIANÆ MENTIS IVCVNDITATE

Libri Tres.



ALDE mihi venit in mentem vereri, ne libros huiusmodi absoluere non possim, licet rerum ipsarum capita, et summam, vtilitatis meæ causa colligerem, atque præpararem. Nam cùm angustiæ propemodum innumerabiles cingant eorum animos, qui versantur in hoc Pastorali munere; nescio quibus verbis, quo ve stylo possit aspergi voluminibus iucunditas, et lætitia, cùm intimis sensibus foueantur mæror, et dolor, et curæ tristes. Etiam in Basilij, Gregorijque Nazianzeni, et Athanasij scriptis admodum exigua reperiemus signa lætitiæ, multa verò lacrymarum, et mæroris. Minimè tamen despero ego posse argumento huic aliquem exitum inueniri, dum scilicet pias mentes hortabor, vt exhilarentur in Domino, tristitiamque deponant. Ita nimirum fiet, vt liber ipse conscribatur, non quidem lætante me, sed alios ad lætitiam inuitante.

DE TRIBVS VITIIS

Libri Tres.




AGNVM Ioannis Caßiani ingenium, magnaque in scribendo sanè vis fuit. Nam in hac tota spiritus, et animi nostri disciplina ita versatus est, vt si proprij quidam illius errores et menda tollantur, altius nemo de perturbationum humanarum natura philosophari potuerit. Nititur omnino tota illius doctrina veluti scientiæ fundamentis; et postquam principia rerum, et elementa constituit, tam euidenter et clarè demonstrat ea, quæ probare atque efficere contendit, vt dubitationem omnẽ eximat; ac planè disciplinæ huius sese principem et auctorem præbet. Huius ego scriptoris vestigia et ingressus obseruando, paulatim in id descendi studium, vt scriberem ipse DE TRIBVS VITIIS, *Superbia nimirum, Auaritia, et Luxuria. Quæ tria humani animi monstra, et pestes ab illo esse designatas videbam. Non inutilis fortasse labor. Aliud enim est hortari, et monere, vt abstineant à vitijs homines, quod tamen ipsum fit sanctè semper atque laudabi-*

liter;

liter; aliud verò docere, quomodo quisque ex ea lucta discedere superior possit.

DE SACRO PRESBYTERIO

Libri Quinque.



NGENTIA mala, multiplicesque curæ, iactatio vehemens non rerum tantummodo nostrarum, sed publicæ pacis, et otij; materiem huic Libro præbuere. Neque tamen cuiusquam insectationem habebit Opus; sicut cætera nostra, diuini tantummodo cultus causa comparatum. Neque ingrata erit cognitio Cæremoniarum, atque Rituum, qui antiquitus in Ecclesia culti, nostra hac ætate penitus exoleuisse videntur.

DE ECSTASI NATVRALI
Liber Vnus.



IBRVM ego hunc scripsi, antequam scriberem eos, quos postea DE ECSTATICIS MVLIERIBVS, ET ILLVSIS *composui. Hinc nimirum factum est, vt multa hic tetigerim tantummodò, et leuiter adumbrauerim, quæ posteriores illi fusè persequuntur. Nouum fortasse argumentum, et disputatio subtilis erit, et rem totam periti homines poterunt examinare suis momentis, atque de libri ipsius veritate ijdem pronuntiabunt.*

DE

DE ECSTATICIS MVLIERIBVS, ET ILLVSIS Libri Quatuor.



VLTA hic, vt opinor, erunt, neque ab alijs antea disputata, neque nota multis; ac nisi fallor, ad ecstasim vniuersam, et exquisitissimam eius rei cognitionem hi libri valde pertinebunt. In quarto pracipuè libro conatus sum varias aperire fraudes, quibus obnoxij sunt feminarum animi, dum se magnos ad perfectionem habere progressus putant. Ac poterunt hinc petere cautiones, et remedia illi, quibus demandata fuerit earum salus, et cura. Quòd si alicui nimiùm rigidus ego, seuerusque censor visus fuero, debui hanc vtique personam induere, cùm grauissimas offensiones, et damna reputarem, quæ nostra memoria orta sunt, dum spectatæ alioqui probitatis homines, lenitate sua muliercularum ineptias fouent. His vtique meliùs fuerat vti seueritate ac rigore nostro, quàm admittere ea, quæ tot mala peperere.

DE COGNITIONIBVS, QVAS HABENT DÆMONES

Liber Vnus.



LIBRI huius argumentum, atque consilium natum mihi est ex dubitatione quadam, quam in tertio DE ECSTATICIS MVLIERIBVS *Libro excitaui, cùm ibi Dæmonis verba consideraremus, quæ magnam inscitiam, exiguámque Spiritus impuri lucem arguebant. Omisimus ea, quæ communiter in theologorum libris, et scholis aguntur, atque tractauimus recondita quædam, et minùs nota.*

DE

DE VARIIS AMORIS MORIBVS

Liber Vnus.



T lucem, et vtilitatem aliquam afferremus eorum animis, qui præter cæteros contemplationem diuinarum rerum, et opera ſpiritus adamauerunt, librum hunc ſcribendum ſuſcepi. Poterit autem veluti ſpeculum eſſe, in quo ſemet intuentes, dignoſcere poſſint, an vera præferant indicia amoris diuini, quo fortaſſe accenſos eſſe animos ſuos credunt. Neque verò damnandus erit ipſius libri titulus, quaſi ad amorem quoque profanum accommodari poſſit.

Nam ſcopulos vitauimus omnes, qui caſtiſsimis mentibus offenſionem aliquam afferre poſſe viderentur, et vmbras quoque malorum declinare conati ſumus

DE MORIBVS CHRISTI

Libri Quatuor.



INIME dubito, quin aliqui, cùm huius libri frontem et inſcriptionem adſpexerint, vel abſurdum eſſe negotium, vel ſuperuacaneum putent, cùm hæc ipſa multis aliorum libris explicata fuiſſe videantur. Sed tamen ex altera parte conſiderandum erit, Sanctum quoque Thomam librum edidiſſe, quem DE MORIBVS DEI *magnus doctor inſcripſit. Simul illud reputare debebunt, admiranda quidem opera Saluatoris, actioneſque diuinas multorum fuiſſe litteris explicatas; paucißimos tamen eſſe, qui mores eiuſdem explicare aggreßi fuerint.*

DE

DE MORIBVS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

Liber Vnus.



VM de Christi moribus egissemus, putauimus esse consentaneum, vt de Sanctißima quoque ipsius Matre nonnulla dicerentur. Et licet admodum pauca de Sanctißima hac Virgine scripserim, ea tamen causa Scripti huius breuitatem defendet; non enim sequi voluimus probabilia, quamuis vera essent, quorum plena sunt pia aliquot volumina. Alia insuper fuit causa breuitatis, quia propositum nobis erat, vt Euangelicis tantummodo locis vteremur, neque aliunde quidquam peteremus.

DE EVANGELICÆ NARRATIONIS DIGNITATE


Liber Vnus.



BSOLVTIS hisce Libris, cùm Euangelicæ lectionis admiratio penitus occupauisset animum meum, cœpi præterea considerare mecum ipse quantum dignitatis ineßet ei narrationi, non solùm quatenus diuini Spiritus Opus esset, sed quatenus etiam exquisitis profanorum scriptorum legibus, et humanæ prudentiæ præceptis **continaretur.**

DE VITA CATHARINÆ SENENSIS MONIALIS CONVERSÆ

Libri Tres.



IVINÆ dispensationis arcana cùm ego considerarem, quæ res omnes tam in Natura, quàm in Gratia Mundo suauiter, et mira semper lenitate disponuntur, facilè sum inductus, vt existimarem, factum fuisse diuinitus, vt innotesceret mihi magnæ virtutis, atque sanctitatis femina, patefactoque aditu, ipsa narraret ea, quæ cùm alijs non ita liberè communicasset. Nos porrò in scribenda mulieris huius vita, retulimus omnia cum fide, nihil augendo verbis aut amplificando. Visiones, et reuelationes plerasque prætermisimus, quia placuit eas tantummodò narrare, quæ vel magnitudine, ac nouitate rerum admirabiles eßent, vel aliquod in spirituali disciplina singulare documentum haberent. Cæteras verò, quæ pene fuerunt innumerabiles; leuiter attingere satis habui. Desiderabit aliquis fortaße plura de Catharinæ visionibus, ac de ipsius frequenti colloquio cum

Deo, et Angelis, totoque Cælestium choro: sed recensere singula pene infinitum fuisset. Vellet alius refertam esse miraculis narrationem, cui pariter desiderio non potuit satisfieri, quia sua munera Deus ipse diuidit in Sanctos arbitratu suo, longèque diuersum est, scribere Sanctorum vitam, et formam absoluti principatus, perfectæque ciuitatis exhibere, sicuti philosophi homines faciunt, è sua ipsorum scientia, et ingenio, ficta pro veris in historiam conferentes. Sed qui vitam alicuius consignare litteris studet, hunc oportet, quasi pictorum arte exprimere delineamenta, ità vt efficta coloribus facies, exēplar ad viuum imitetur. Generis huius scripta facilè à multis in suspicionem vocantur, nimiūmque incredulos hominū animos offendunt, si qua fortè vmbra leuitatis appareat in ipso rerū scriptore, offensisque semel animis, fructus perit vniuersus, qui sacram lectionem sequi debebat. In eo grauis est multorum error, suspicioque inanis, vt ego quidem existimo. Nam in Principum, et Regum fortaße vita, rebusque gestis poterit ei suspicioni locus esse nonnullus, ac de scriptoris fide dubitare interdum licebit: sed vbi pauperrima mulieris vita memoretur, quæ ad extremum vsque spiritum intra claustra mansit inops; et postquam occubuit, neminem

hu-

humano fauore ſtimulare potuit ad ſcribendum, omnis videtur procul abeſſe ſuſpicio cuiuſlibet humanæ perturbationis, et animi corrupti. Habebit hoc fortaſſe volumen non contemnendam obſeruationem præceptorum, quæ traduntur ab ſcribendæ hiſtoriæ magiſtris; quæ quidem ego præcepta tantò magis cuſtodire volui, quãtò maiorem eſſe nonnullorum in huiuſmodi ſcriptis hac ætate licentiam videbam. Nam alij cum vitam alicuius memoriæ prodendam ſuſceperint, annales potiùs, et hiſtoriarum monumenta voluminibus includunt. Alij res ipſas extollere magnificè, non narrare ſimpliciter amant. Nonnullis anxia quædam circa res minutas cura placet, admiranturque ſingula, et veluti punctis immorantur. Aliquos demum ea ratio delectat, vt deſcribant non proprios hominis mores, ſed ſtatum, atque fortunam illius, quem ſuſcepere laudandum, docentque interim, et prope concionantur. Eſt omnium ſanè laudabilis induſtria, varijsque modis gloria Sanctorum illuſtratur, et ea piorum ſtudia placido lumine Deus videt. Non tamen ego cuiquam auctor fuerim, vt eas artes imitetur; pluſque commendationis, et laudis habebit ſimplex et nuda narratio, quàm variæ illæ laudationum ingenia.

CONSOLATORIA, ATQVE ADHORTATORIA ORATIO AD EPISCOPOS.



ICVTI in hac Oratione ſcribenda mihi propoſitum fuit, ne quemquam ſiue Regem, ſiue Principem alium virum profani, ſacrive ordinis nominatim appellarem; et ſicuti ne tacito quidem animi ſenſu aliquem vnum deſignaui, ſed omnes promiſcuè ſum intima cogitatione complexus: ita etiam magnopere velim eos, in quorum manus hæc fortaſſe concio perueniet, perſuaſum habere, totum animi mei ſenſum ab Orationis inſcriptione non diſcrepaſſe: quæ nimirum inſcriptio neminem priuatim attingit, publicè vniuerſos ſpectat. Id mihi eſſe commonendum exiſtimaui, cùm illud intelligerem, vbi triſtis aliqua de ſcriptore ſuſpicio legentiũ animos occuparit, ita repente fidem abrogari vniuerſam, vt non modò fructus conſequatur aliquis, ſed etiam detrimenti multum exiſtat; ac ſæpe vtilius fuerat numquam eiuſmodi ſcrip-

ta contrectasse. Optamus igitur, vt qui Orationem hanc sumere in manus volent, vel incipiant ex ipso statim indice cogitare de moribus ipsius amabiliter, accedantque benè erga ipsam affecti; vel si hunc afferre animum non potuerunt, potiùs supersedere velint hoc legendi labore et cura.

DISPVTATIO PRIMA

AN CONSILIARII suos Principes excusare possint in diuino Iudicio.



AM DIV mihi consilium erat argumentum hoc persequi, atque tollere ex animis opinionem, quam nostrorum temporum esse calamitatem agnosco, ac veluti diram pestem, quæ quotidie latiùs serpat. Magnopere sanè solicitos habere Principum animos deberet ea res, quòd illi, quorum consilijs vtuntur, quosve charos habent, turpiter adeò fallantur in negocio, quo ipsorum salus agitur. Silentio præterimus multorum nomina, quorum facta et dicta Libro continentur, ne aliquem illorum offendamus, vel etiam eorum laudes prosequamur suspicione adulationis.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA


AN CONSILIARII se ipsos excusare possint in diuino Iudicio.



ISPVTATIO secunda hac eò spectat, vt persuadeat Reipublicæ administratoribus, consiliarijsque Principum non manibus solùm opus esse multis, sed oculis etiam: vellemusque omnino persuadere ministris, vt ex Regis Salomonis præcepto, diligentissimè circumspiciant ea, quæ sint apposita sibi in Principum mensis, quibus ipsi accumbunt.



DE
NOVA SPHÆRA.



VM ego Bibliothecam, et Collegium Ambrosianum instituissem, cœpi cogitare, num in re mathematica separatim aliquid moliri possem, quod artium illarum dignitati splendoris aliquid afferret, notaque iam illustrium ingeniorum commenta minimè contineret. Videram sanè pleraque mathematica instrumenta, quæ vel materiæ dignitate, vel amplitudine formæ omnium in se oculos conuerterent. Non tamen erant eiusmodi, quin ferè passim inuenirentur. Demum venit mihi in mentem Cælestem effingere Globum arte quadam inusitata, neque, vt arbitror, antehac tentata cuiquam. Conclaue fiet orbe vno continuum, decoro cum ingressu. Pauimentum incisos habebit Italiæ situs, prout Cosmographorum arte describuntur. Reliqua terrarum exquisitissimo picturæ genere paries hinc inde repræsentabit, ita vt prospectus ipse, terminusque descriptionis ex hac nostra, in qua moramur, vrbe desumatur. Perfectæ rotunditatis orbis summa testudine voluetur, atque simul erunt sidera, quæ ab errore perpetuo Planetæ nomi- Non diuulgabitur Opus.

nan-

nantur, cum inter se distincta, tum ab orbe ipso separata; quæ item proprio suo motu circumagentur. Stantes in medio conclaui, totius Orbis orizontem intuebuntur. Ideo stellarum ortus, et occasus ordine certissimo constabit, eritque promptissimum experimentum, tam nocturno tempore, quàm diurno, mathematicis alijs instrumentis adhibitis. Opus ipsum adhuc differri necesse fuit, porròque differtur ob loci angustias, in quo Bibliotheca sita est, aliamque operi huic quærere sedem, alienum ab negotij dignitate videbatur. Mandauimus tamen idoneo ad hanc rem homini, familiarique nostro, vt ea, quæ operi huic perficiundo acciperet subinde à nobis, custodiret fideli memoria, atque conseruaret. Id ille diligenter præstitit. Codexque in Bibliotheca retinebitur, in eam spem, si fortè commodiora tempora, et aptiora exoriantur, quæ concedant operi huic locum opportunamque sedem. Ita reliquias et vestigia meditamentorum, quæ olim animo nostro diutissimè inclusa fuerant, protulimus, vt aliena manu, indicantibus nobis, perscriberentur. Quæ Sphærarum Globorumque cælestium diu insidens animo nostro cura fecit etiam, vt inter aliarum rerum, disciplinarumque studia, pleraque notaremus circa alienas Globorum fabricas, eas-

que

que commentationes in paruulum codicem ordine contulimus; isque codex poterit ingenijs esse oblectamento, intereadum noua machina, artificijque verè noui adspectus differtur, qui animos simul, occulosque oblectabit.

DE ACTIONE CONTEMPLATIONIS
Libri Quatuor.



AM difficile est assequi contemplationis habitum, ac superare difficultates eas, quæ sunt ad hanc impediendam penè innumerabiles, vt satiari ego non possim recreandis contemplantium animis, omnique ratione peruestiganda, quæ facilem hanc reddere viam possit, cùm sit ipsa per se adeò difficilis et ardua. Quamobrem hisce Libris studuimus adiumenta varia parare illis, qui versantur in hac diuina arte, exemplisque aliorum conati sumus confimare eosdem, ne deterriti difficultatibus, vertant retro iter, sicuti plerisque accidere solet. Hæc mea monita, et obseruationes poterunt ipsis esse loco machinarum, quibus magni artifices ad

opera sua mirifica promouenda vtuntur; quasve etiam viri militares adhibent, vt aliqua bona sint conditione cum illis, qui sunt viribus, et multitudine superiores; ac dum ego id facere sum conatus, secutum est illud, vt pro locorum opportunitate, varia veterum loca explicarentur; atque collecta sunt ex veterum Libris eruditè, ac litteratè nonnulla, quæ minimè nota omnibus, dispersa extant in sacris, profanisque monumentis. Non enim ex vno, alterove Libro, sed ex pluribus, multiplici, variaque lectione hauriendæ disciplina erat.



DE

DE VERA, ET OCCVLTA SANCTITATE Libri Tres.



N huius Operis inscriptione non debebit aliquis illud statim dicere, quod à veteribus sapienter dictum fuit, veritatem nempe numquam esse occultam; omniaque longam diem videre, et audire, ac tandem expuere. Non enim id vsquequaque verum est; exemplaque multa secus extant. Aptißima scriptio hæc erit illis præsertim, quorum conditio non erit ab omni parte felix, et quorum virtus magna, et clara, magnis etiam tenebris septa tenebitur, ac sicuti Græcorum Poëtarum vnus dixit; Hymno carens virtus illis erit. *Ac quoties accidit in vita etiam humanæ cursu, vt præmia meritis minimè respondeant, nec opinio veritati, nec fama virtuti, nec huic honores? Non est itaque contemnendum huius Libri argumentum, sicuti vtile est, probare metalla pondere, et sono, et lapidis experimento, ac demum flamma, tamquam seueriore iudicio. Quæ omnia solidæ virtuti numquam nocuere.*


DE PICTVRA SACRA

Libri Duo.



VI fuerit horum Librorum finis, patet ex regulis, quæ præscriptæ sunt Academiæ, in qua Pictura, Sculptura, et Architectura traduntur. Illæ enim leges magis propriè monstrant viam, qua quisque in illis Artibus exerceri vtiliter possit. Nos Pastores animarum debemus emendare corruptos mores, et falsas opiniones, quæ sæpe proficiscuntur à prauis exemplis, et verbis, et lectione librorum, in quibus corrupti aliquid inest. Atque ideo tres istæ artes quodammodo ad Pastores etiam pertinent, vt ea, quæ imprudenter à magistris, vel immodestè in ipsis peccantur, emendentur, ac meliora fiant. Nam nisi id fieret, permitterentur à nobis fræna licentiæ, corruptique sermones, et libri sine emendatione vlla inualescerent; atque hanc curam sacri etiam Concilij Tridentini auctoritas nobis commendat, in quo de hac re fusè agitur.

DE EDVCANDIS INGENIIS
Liber Vnus.



VBLICAE cura, et priuata impedimenta, vel Ecclesiastici muneris, vel profanarum etiam rerum, non videntur potuisse dare nobis facultatem, vt hunc Librum scriberemus; sed poterimus fortasse dicere, multas esse horas, vel nocturnas, vel diurnas; multosque maioribus etiam districtos negotijs, apta studijs suis tempora reperisse; cuius quidem temporis dispensationem apud me non ita subtiliter fuisse exactam fateor. Quod verò ad argumentum ipsum attinet, quod à nostra personæ dignitate alienum esse videtur, non afferam hoc loco exemplum Attici, qui multos apud se litteratos homines habuit, referente sanè Cornelio nepote rem memoria dignam, eum scilicet numquam in familiam suam expetiuisse eos, qui in alieno famulatu essent; sed solitum fuisse sapientia sua informare, et erudire eos, quorum opera vti vellet. In quo sanè prudenter, ac modestè, et citra omnem inuidiæ suspicionem egit.

Non diuulgabitur Opus.

Ve-

Verùm hisce rebus omissis dico, felicem illam ætatem superiorem educasse in hac ciuitate Beatum Augustinum sub disciplina magni Pastoris Ambrosij, ex cuius ore hausit ille eloquentiam et præcepta, et leges studiorum; atque tam sedula fuit cura Pastoris nostri, vt discipulo illi Isaiæ lectionem præscripserit. Et quamquam in Libris nostris, quos antea DE ABSOLVTA COLLEGII AMBROSIANI IN LITTERIS INSTITVTIONE *conscriptos nominauimus, satis prolixè multa tractata sunt ad ipsius Collegij Ambrosiani vtilitatem; cùm tamen existimarem superesse nonnulla, quæ mediocriter vtilia artibus videri possent, et disciplinis, quæ in ipso Collegio excoluntur, et adhibentur, putaui faciendum esse, vt hunc quoque Librum dictarem. Neque parua, et minuta videri hæc debebunt; nam meminisse debemus verborum, quæ sunt apud Liuium de Romanorum in educandis liberis diligentia, nutricumque, et magistrorum delectu.* Parua sunt, *inquit*, hæc, sed parua ista non contemnendo maiores nostri, maximam hanc rem fecerunt. *In quatuor præcipuas partes diuiditur Liber, in quibus agitur.*

De educandis ingenijs.

De Librorum supellectile augenda.

De Typographiæ incrementis.

De


De Legibus Liberalium Artium.

Harum autem quatuor partium præcipua Capita sunt hæc.

De



DE DELECTV INGENIORVM
Libri Duo.



LINIVS cùm de gemmarum natura, pleraque mirificè commentaretur, illud quoque dixit admodum eleganter, fieri nonnullarum immenso pretio; vt pretium non haberent; dixitque insuper, posse conspici in aliqua earum totam Naturæ maiestatem, et artem. Id nos veriùs, iustiùsque de diuinorum Operum maiestate, ingenijsque hominum dici posse arbitramur. Et quidem deerunt fortasse qui contemplentur hæc, æstimentque suis pretijs, sicuti gemmarum pleraque in sinu vallium, cacuminibusve montium contemplatore carent. Cæterùm, accidere fortasse posset, vt hisce litteris aliqua cura nonnullorum excitaretur ad inquirenda simul ea, et expolienda.

DE NON VVLGARI EXISTIMATIONE, ET FAMA


Liber Vnus.



ICVTI rectè omnes sciunt, impium esse lædere mortuos: ita sciri etiam oportet, piam esse omnem eorum defensionem, ac præcipuè id pietatis officium deberi illis, qui licet è custodia corporis exierint, non tamen è communi fama, prædicationeque hominum ob res præclarè gestas exiere. Honestum est Patriam defendere, sed honestius parentes, maioresque illos, qui mores nostros ad religionem, et pietatem informando, vitam nobis alteram, optabilioremque dederunt. Ea res fecit, vt curæ huic mentem, manumque admoueremus.


DE FVGIENDA OSTENTATIONE

Libri Duo.



NCLYTI viri graue verbum extat, quibus propriè splendor desit, his curam et studium esse quærendi aliunde splendoris, qui auro, gemmisque continetur. Id perinde est ac si pretio alieno pretiosi esse, siue potius alieno spiritu viuere vitam homines velint. Fucati candoris medicamenta, et omnis ementita species dedecet virtutem. Ea nuda et simplex esse amat, inuiolabilis, et casta, et splendore conspicua illo, qui etiam in clausos oculos incurrat.

PHILAGIOS,
SIVE DE
AMORE VIRTVTIS
Libri Duodecim.


ERE vtique nimiùm cecinit Poeta nobilis, viros optimos rarò inueniri; neque maiore esse numero, quàm Thebanæ sint portæ, faucesve, et ostia Nili. Ideo tantò magis custodiri memoriam oportet hominum, qui non solùm honesti, probique fuere, sed etiam aliquod è Cælo singulare munus, eximiamque virtutem obtinuere. Sicuti pretiosissimæ res asseruantur, et curantur: ita retineri memoria talium debet, ne nocte obliuionis effigies eorum inuoluatur, neve viæ confundantur, et ignorentur illæ, quas ipsi vias calcando, et persequendo, quietem, et felicitatem inuenere sempiternam. Hisce Libris varios sanctißimarum animarum casus exequemur, cum eo quidem delectu, vt non vera solùm, sed rarißima, et eximia quæque tradamus. Frons Libri habet Baptistæ Varranæ vitam, quam ego cùm alicui dedissem, edere anteuertit, atque occupauit, me istud non cogitante, neque suspicante.

DE

DE TABVLIS ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

Liber Vnus.



VSCEPIMVS libentißimè curam hanc antiqua monumenta conquirendi, quia videbamus eam antiquitatis notitiam non minoris iucunditatis esse liberalibus animis, quàm cum vetera ædificia testantia maiorum nostrorum amplitudinem intuemur, etiamsi temporis iniuria labefactata sint. Eodem nempe studio, eademque voluptate animi effodiuntur ex terræ visceribus fragmenta statuarum, iterumque monstrantur ætati nostræ, et dispersa multifariam membra coaceruantur in vnum, quasi nouum dari posse spiritum emortuo corpori speremus. Ac sicuti ædificiorum ruinæ declarant vrbium maiestatem: ita paucæ illæ tabulæ, quæ temporis iniuriam vitauere, declarant quàm multa nobis veteris æui monumenta perierint, quàmque fœcunda fuerit Ecclesia hæc Martyrum, et Confessorum, et Virginum sacrarum, quarum me-


memoria ad nostram peruenire ætatem minimè potuit. Huiusmodi narrationes, sacrosque casus diuersis notis, atque commentationibus putauimus esse illustrandos; atque inde data nobis occasio est, si quidem rectè ea vsi fuerimus, inquirendi antiquitates etiam varias, vnde robur, et auctoritas additur notis, commentationibusque ipsis. Harum porrò notarum seriem, et ordinem secuta est vitarum ipsarum series, et ordo, designatis etiam locis, quò quidque referri debeat. In margine item Libri varias lectiones, codicesque notauimus collatione multorũ emendatos, sed vbi manifestus tantummodo scripturæ error apparebat; nam cætera intacta reliquimus.



DE

DE INTELLIGENTIA, ET MEMORIA EORVM, QVIBVS REVELATIONES DIVINÆ OBTINGVNT

Liber Vnus.



VISQVIS argumentum aliquod fusè nimiùm prosequitur, is alterutram reprehensionem effugere nõ potest, vel inertis otij, vel curiositatis nimiæ, quam Poeta Græcus esse periculosam cecinit; ideoque consilium etiam salutare vnius extat, non esse omnia audienda, ac ne cognoscenda quidem. Non ego aduersùs huiusmodi ancipitem reprehensionem afferre quidquã conabor, sed scripta hæc ipsa defendent Auctorem suum, atque tuebuntur parentem, vnde fœtus hic manauit. Defendent, inquam, ac tuebuntur, dum in suo sinu res vtilissimas continebunt, quæ nostra hac industria, et labore digna erant.

CVR

CVR
SÆPIVS FEMINIS,
QVAM VIRIS
REVELATIONES DIVINÆ
COMMVNICENTVR
Liber Vnus.


IDETVR quidem Libri huius inſcriptio præſeferre quandam muliebris ſexus laudationem, ſed nihil minus propoſitum fuit nobis, quàm vt ſexum eum extolleremus. Nam, ſicuti Tertullianus ait, fieri, non naſci Chriſtianos: ita animæ iſtæ acceptæ Deo non naſcuntur, ſed fiunt; ideoque non ſexus, non ætas, non terra vlla tales animas fundit, et creat. Propoſitum nobis hoc Libro fuit, vt de cæleſtium donorum conditione philoſopharemur, et diuina inibi arcana, ordinemque, et prouidentiæ miſteria conſideraremus, nuſquam tamen interea deponentes ex animo memoriam hanc, proprium hoc eſſe diuinæ Maieſtatis, vt humillima quæque extollat, et ea, quæ ſunt imperfecta, ceu ſexus ille eſt, expoliendo et ornando, potentiam ſuam infinitam teſtetur.

DE

DE MINORIBVS, ET MAIORIBVS REMEDIIS CONCVPISCENTIÆ

Libri Duo.



LINIVS, intellecta morborum multitudine, qui corpus humanum infestarent, dixit, nouas semper existere ægritudinum cohortes, nostrique corporis malis non sufficere remediorum copiam, licet agri, collesque, et saltus, et nemora salutarium herbarum vim prope ad certamen effundant. Tale quiddam dici posse crediderim ab ijs, qui pestiferum hunc prauæ libidinis morbum sanare conati sunt. Ea tanta pestis est, et tam lethale venenum, vt, si non sufficiunt siluæ, et camporum spatia membrorum humanorum calamitatibus, multò minus huic tabi sufficere possint atramenta, vel plumæ, nisi diuina benignitas auxilium opemque ferat. Attamen, vnicuique pro sua parte connitendum est, vt in eo versetur opere, in quo ab Natura, et Auctore Naturæ collocatus est; ac

ſicut plantarum, et animantium, et ſtellarum quoque ipſarum tum maiorum, tum minorum perpetuus quidam, irrequietuſque motus eſt: ita pari motu induſtria mortalium exerceri debet.

DE VILLA GREGORIANA,

SIVE DE CONTEMPTV DELICIARVM

Liber Vnus.




VM ex itinere quodam adſpicienda mihi etiam inuito deliciæ nonnullorum fuiſſent; varijque circa eas audiendi ſermones hominum, qui plus æquo id deliciarum genus, tamquam dona Naturæ, et artium æſtimantes, anxiè nimium ſibi conquirebant; quæ omnia apud animũ noſtrum numquam tanto in honore, ac pretio fuere: ego, vt viaticum mihi aliquod pararem, conciperemque animo deliciarum aliarũ partem, quæ licet æternæ deliciæ nõ ſint, propius tamen ad eas accedunt, quàm iſtæ, quas adſpicere coactus eram; Librum conſcripſi hunc, et abſolutum habui opus die eodem, quo in priſtina mea domicilia referre pedem mihi conceſſũ fuit.

DE

DE SELECTIS DIVINARVM RERVM PROBATIONIBVS

Libri Octo.



NIMIS longum esset recensere præclara argumenta, quæ Libris hisce tractare propositum est. Sunt enim fœcundissimus veluti campus magni pretij rerum, neque terrarum tantummodo fines, sed Naturæ totius peruagantur, eiusque admiranda opera continebunt, spatiaque temporum, et immensa, nec humanæ solùm vitæ, sed Superum etiam, Inferorumque conditionem, et quidquid in vtraque parte mirabile, et diuersum. Tantarum igitur professio rerum, atque titulus iste tam amplus, spem nobis ferè adimere debebat absoluendi Operis, nisi sciremus, in magnis, arduisque rebus voluntatem, studiumque ipsum dignum excusatione sæpe fuisse, si minus gloria, et laude. Quid verò Operis initio spectauerim, initia ipsa satis demonstrãt. Ac si longior nobis vita data erit, maturam copiam frugum fortasse proferemus; quæ nunc

fruges in ipso cogitationum nostrarum flore cùm sint, non debuere nunc proponi, et ostentari, ne speciem quæsiuisse inanem videremur.


IVVENILES EXERCITATIONES.



VSPICIO illa, iustusque timor, quem aliorum exempla nobis afferebant, ne minus prosperè caderet huius Libri editio, desijt animum solicitare nostrum ob eam ipsam rem; quam nunc exponam. Monumenta, litteræque ista per triginta ampliùs annos dispersa, dißipataque iacuerunt, ita vt meminissem earum ego quidem, sed minimè ambigerem, quin communi, et ferè quotidiana librorum aliorum sorte perijssent, cùm alioqui, sicuti pleraque alia monumenta, custodiri, et retineri par esset. Eas igitur sacerdotum nostrorum vnus in apotheca fortè reperit inuoluendis mercibus congesta illuc, vt scilicet vel igne postea, vel tabe aliqua tamquam leuiore malo absumerentur. Sacerdos ille sic repertas litteras ad me cùm detulisset, inquireremque ego quonam casu illuc peruenissent, ita comperi; adolescentulis adhuc


nobis,

nobis, scripta illa relicta fuisse penes familiarē quendam nostrum, quo mortuo, heredes illius ignari quid rei esset, lactario homini chartaceos illos fasciculos vendidere. Utinam verò sortem, et calamitatem eamdem effugissent scripta alia, quæ longè pretiosiora istis aluere vermiculos, et flammas. Quæ clades si vitata esset, totum hodie Liuium, et Curtium, et Egesippum, et Plinium, et Africanum legeremus; Origenesque, et, quod longè luctuosius est, magnus Athanasius nequaquam tanta sui parte diminuti essent. Caterùm, volumini huic imperfecto, et puerili pretium, et honorem opinor addent epistolæ nonnullæ Sāctißimi Cardinalis, et Archiepiscopi CAROLI, *quas quidem ego epistolas diuino nutu mihi fuisse oblatas arbitror; ac sicut eas ego nactus sum, ita lubens, volensque alijs offero.*



SE-


SEMINA RERVM
AD
SACRAS CONCIONES
HABENDAS.



REDO inter scripta, litterasque nostras, quæ fortasse aliquando è tenebris prodibunt, partem fore vnam communem mihi cum altero, nec totam meam; quod, quomodo acciderit, explicabo. Cum scribenti, siue legenti, siue audienti mihi pleraque digna memoria visa essent, excepi sedulò ea, et custodiui, deinde Libellis, siue Commentarijs mandaui. Et quoniam industria, laboreque nonnullo nobis ea res stetit, laborem perire istum nolui, iussique dispersa illa colligi, vt euulgarentur, adspicerentque lucem, ita quidem si familiaris noster vnus, amicusque intimus, cui otij nostri reliquias alias credere in animo habemus, hæc ipsa cum cæteris in suæ sortis discrimen mittenda esse censebit. Cæterùm, Opus hoc ex toto fore meum dixi iusta quadam, veraque ratione. Nam Opus in eo nostrum erit, quod nulla ibi sententia, nullumve argumentū reperietur, aliud-

ue, quàm ex litteris nostris petitum, atque desumptum; insuperque Capita, et ordinem Operis uniuersi dictauimus, atque descripsimus. Colligendi verò, et conquirendi pleraque in sententiam vnam, et eandem, labor, et cura non quidem nostra, sed illius erit, quem huic muneri esse idoneum putauimus. Neque aliter fieri potuit; quippecum scribentibus aßiduè nobis, necesse eßet Commentarios nostros ad manum habere. Ac si aliunde petenda res nobis fuerat, necesse habebamus, aut laborem suscipere nouum, librumque contexere nostrum alium, aut iterare sæpius eadem; id, quod omni nostra ope vitare conati sumus. Totum hoc monere voluimus, ne spurium et adulterinum fortasse Opus id haberetur, atque nostrum ab alieno laborem distinguere quilibet possit. Libri erunt fermè triginta, in quibus prompta et obuia cuilibet erunt multa, quæ Concionatoribus vsui esse solent. Et quidem magna pars sententiarum, locorumque istorum inuenta, et excogitata à nobis erit, non autem aliunde sumpta, licet curam, laboremque hunc aliena colligendi, nostris quoque temporibus aliqui nõ sine laude susceperint. Cæterùm, ne sententiæ istæ, locique nostri nudi, ac sine ornatu essent, sententias alias Patrum addidimus, ornandi, vel explicandi, vel

confirmandi causa. In ipso autem Operis totius ordine tenuimus hoc, vt argumenta, siue Capita coniungeremus ea, quæ ipsa per se similitudine, et affinitate nonnulla coniuncta essent. Ita nimirum fore credidimus, vt series, affinitasque ista copiæ, et inuentioni rerum inseruiret. Nam si quis id, quod exquiret, fortasse non repererit, reperiet certè simillimum aliquid ac ferè coniunctum. Capita quædam, et argumenta erunt prolixè minùs, et fusè tractata, quàm alia nonnulla. Id poterit esse indicio, nequaquam id spectasse nos, vt Librum ingentē, cæteram retexendo librorum molem conficeremus; id scilicet vnum spectauimus, vt codice vnico complecteremur, atque custodiremus illas animi nostri meditationes, quæ in cætera scriptorum nostrorum turba, meruiße partem lucis, et vitæ visæ erunt.



LIT-

LITTERÆ
VENERABILIS
SERVÆ DEI
AD
FEDERICVM
BORROMÆVM
CARDINALEM, ET ARCHIEPISCOPVM
MEDIOLANI,
ET EIVSDEM
RESPONSIONES.



GREGIE verò diuinam, altamque ſapientiam Salomonis declarant inter admirandas alias eius potentiſſimi Regis voces, illa quoque verba; Ante mortem ne laudes hominem quemquam. *Quæ vox, et digna Rege illo ſententia aduersùs omnes eximiæ virtutis, et doctrinæ mortales pronuntiata diuinitus, quantò iuſtiùs, aſſeuerantiùſque ab* Rege *eodem lata eſſet, ſi ageret ille de ſimplicibus, obſcuriſque feminis, quæ vitam duxere procul ab omni conſilio, et actione, quæ prudentiæ initia et fontes continet? Ideo, numquam ſatis eorum laudata mens erit, qui tardè in eo, lentèque agunt iudicium*

sustinendo et assensum, ne Dæmonum fraude, humanave naturæ vitio decipiantur, vtque circumspectione, et prudentia sua, temporis beneficio victoriam reportent. Requirunt *sanè iudicia hæc prudentiam similem ei, cum qua nostræ ætatis Regum vnus dicere solitus fuit, sperare se felices omnium rerum suarum euentus, ideo quia ad expugnandas difficultates, quæ quotidie orirentur, sociam, adiutricemque diem haberet, quo adiumento temporis pugnare contra duos non dubitaret. Sic nimirum etiam nos sperauimus, quod ad visiones, et reuelationes, et raptus, et ecstases piæ cuiusdam mulieris attineat, adiuuante Deo, rectè, verèque decreturos esse, si beneficio temporis vteremur. Cuius quidem mulieris litteras, et monita simul nostra proferemus in publicum, si dies ea nobis commendauerit: alioqui dabuntur flammis, si dies eadem ita decreuerit. Diem igitur ipsam, huius causæ iudicem faciemus: nos causidici, et legulei erimus. Præmia verò, siue pœnas ab Deo vno expectabimus, qui ipsa veritas est, cuius Potentia cuncta regit. Nihil interea mali factum est; euentusque isti citra noxam fuere. Simul ipsi consumpsimus haud inutiliter horas, animumque ab grauioribus curis abduximus, sicuti inani cura aliqui tem-*


pus,

pus, vitamque ipsam perdidere. Nec fortasse aliena fuerit huic nostræ deliberationi, et instituto vox illa Dauidis, qua ipse vsus fuit, cùm increparent eum fratres, quòd aduersus Goliã certamen sibi petijsset. Cùm enim temeritatis in eo accusaretur, vnica hac voce ille sese aduersus contumeliosa dicta defendit; Quid feci? numquid non verbum est? *Sic nimirum etiã mihi dicere liceat, nullam aliam factam esse iacturam, quàm verborum fortasse nonnullorum, quæ nec irrita, nec inutilia appellauerim; quandoquidem in omni re exitus vim, auctoritatemque rebus addit: atque etiam ab Apostolo dictum est;*

Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.



EPHEMERIDES LITTERARIÆ.



N tota Scriptorum nostrorum supellectile, quamuis ea curta admodum, paruique pretij sit, reperi multa, quæ nisi in vsum aliquem extraherentur, in obscuro fortasse aliquo nostræ domus angulo contabuissent. Extraximus igitur ea in lucem ex tenebris absque discrimine vllo, siue detrita, et obsoleta, et pretij nullius, siue nitida, et pretiosa vestis esset.



DE PROVIDENTIA DEI, ET ILLIVS PERMISSIONE CVM MALIGNIS SPIRITIBVS

Liber Vnus.



N Libro hoc scribendo Caput vnum propositum nobis fuit, vnde tota deinde disputatio progreßa est. Voluimus enim explicare quænam occulta sit Prouidentia Diuina, *siue* Dispensatio, *siue* Permissio erga Spiritus malignos. *Quæ quàm excelsa sit, et perpetuò admiranda, existimari potest ex eo, quòd diuina sit. Hæc simul abdita, ignotaque est humanæ menti, quæ diuina opera, curamque erga ipsos terræ vermiculos ignorat. De qua quidem ignoratione hominum, et mirificis diuinæ Prouidentiæ operibus, Jobus, et Dauid excelsè locuti sunt, cùm scilicet admirarentur ipsi ordinem hunc occultum simul, et manifestum, quo reguntur, aluntur que minutæ animantes, salua diuinæ magnitudinis, et sapientiæ maiestate. Impe-*

D   rium

rium igitur diuinum hoc et administratio suprema erga nobilissimas, incorporeasque, et semper duraturas substantias, quantò plus admirationis apud animum nostrum habere debebit, etiamsi rem ipsam perfectè intelligere non possimus? Quæ substantiæ quò deteriores, magisque rebelles erunt, tantò magis diuinæ sapientiæ magnitudo elucebit, sicuti præstantia eluceret artificis vnius, qui contumacem, rigidamque materiam, artisque minimè capacem ita regeret, vt mollis, cedensque sequeretur, iussaque fieret opus.



DE

PARALELLA COSMOGRAPHICA

SIVE DE SEDE, ET APPARITIONIBVS DÆMONVM

Liber Vnus.




VMMVS Poeta Dantes cùm caneret de pulcherrimo simul, et turpissimo Lucifero, vermen eum esse dixit, qui totam terræ molem perforaret. Ita significare voluit, collocatum eum esse in terræ ipsius centro; tribuensque corporis speciem substantia corporis experti, acutè dixit perforari ab eo centrum, et vtrinque rigidas ceruices attollere. Hos pestiferos terræ vermes nos passim alibi quoque, et in diuersis Orbis partibus considerauimus, fœdam nempe rem, et voratricem, cuius sordibus cuncta inquinantur, et pulcherrima quæque, quantum in ipsis est, absumuntur. Argumentum sanè ingratum, quo defungi mens ipsa festinaret, vt ex tenebricosa illa speculatione egrederetur. Attamen, voranda res fuit, Opereque absoluto, memor Dantis ipsius, sensi partem voluptatis,

qua

qua ipse quoque absoluto Inferorum Opere, se se delibutum sensit. Nos enim quoque cum eo in lucem apertam, conspectumque stellarum prodimus.

DE LINGVIS, NVMERO, ET NOMINIBVS ANGELORVM Libri Tres.



ONNVLLI fortasse appellare poterunt Titulum hunc, vel totum hoc Opus curiosum nimis, vel me ipsum indagatorem earum rerum, quæ humanæ mentis captum, et intelligentiam longè superant, et excedunt. Attamen, ijs satisfieri posse censemus, nosque, et Opus ipsum, et Titulum ab ea culpa eximere, si pia quædam, multùmque fructuosa consectabimur, quæ curiosos animos ad pietatem, veramque disciplinam reuocare poßint. Varietas autem opinionum in hoc genere, obscuritasque rerũ compensata erit confutatione errorum, explicataque veritatis fructu pascetur animus, cætera relinquens alijs, qui fortasse ea non repudiabunt.

DE


DE SACRIS ADMIRANDIS AVDITIONIBVS
Liber Vnus.



ER ACTO, et dimisso conuiuio illo solenni, quod in solitudine, et monte Saluator ipse celebrauit, mādatum fuit eiusdem Saluatoris, vt reliquiæ, quæ tantæ multitudini superfuissent, sedulò colligerentur à discipulis; protinusque collectæ sunt. Nobis quoque faciendum esse visum est ad huius diuini mandati similitudinem, ne reliquias quasdam epularum perire pateremur, quas apud dilectas sibi animas Saluator celebrauit. Colligenda, inquam, hæc fuere, segregandaque in partem vnam, ne dispersa, et conculcata iacerent. Narratiunculæ quædam breues sunt rerum, quæ sanctißimis personis accidêre. Inseruimus quoque memorias alias rerum et casuū, qui alioqui non sine litterarum damno, et iniuria perijssent: charaque nobis, et iucunda esse cognitio talium rerum debet, sicuti iucundiùs vtique, optabiliùsque fuerat, noscere illustria veterum facta, et casus, quibus defuit custodia memoriæ fidelis, quosve longitudo tēporis absumpsit.

DOMESTICARVM EPISTOLARVM

Liber Vnus.




DVM nonnullos, qui nos propinqua cognatione attingunt, erudimus, hortamurque, dumque eorum litteris respondemus, Liber hic Epistolarum, nihil tale cogitantibus, extitit. Carebunt eo certè vitio, vt ostentationis causa, non officio necessario scripta esse videantur. Non enim prælo subijcere ista, typosque fatigare, sed progreßibus, et vtilitati nostrorum inseruire nobis animus fuit, Deerat Operi titulus, quem nos ab ipsa talium Epistolarum conditione desumptum dedimus. Epistolas quoque nonnullas addidimus, quæ ad familiares nonnullos intimosque amicos studiorum nostrorum occasione ac neceßitate scribendæ fuerunt; nec eas quidem perire voluimus, quas ad nos ipsi rescripserant. Ita namque postulabat, et rerum, argumentorumque affinitas, et amicorum de re litteraria bene meritorum industria, et fides.

DE

DE EXERCITATIONE ET LABORE SCRIBENDI

Libri Tres.



RVNT sanè tanto in litterarum studijs vsu, excellentiaque nonnulli, vt lucubratione hac nostra non indigeant; neque ego vnquam auctor fuerim, vt legant ista, potiusque suaserim, ne Librum hunc sumant ipsi in manus. At quibus mediocris litteratura est, horum fortasse etiam querimonia audietur, leuamento potius esse sibi in studiorum labore, quàm vt nouis vllis tricis implicari, nouisque grauari laboribus debeant. Atqui ne meminisse quidem laboris, vel tale quiddam nominasse oportebat eos, qui scirent, veteres sapientes non solùm conquisiuisse vndique, et lectitasse libros, sed hominum etiam doctorum ex remotis partibus copiam sibi voluisse comparare. Idque non tam spe scientiæ alicuius acquirendæ; quæ nobis facultas datur librorum ope, qui ex animi nostri sententia vigilant nobiscum, dormiuntve, iacentque, et mouentur nutu nostro, quàm vt

oblectarentur eorum sermonibus, voculamque vnam, siue consilium aliquod eorum exciperet. Dictum alibi est, Homerum, et Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Heraclitum, et Platonem ita factitasse; traditque Iustinus Martyr, Græcos eos, qui doctissimi fuerunt, in Ægyptum esse peregrinatos discendi causa, maximèque Homerum eò contendisse. At nostra ætas tam felix ab hac parte est, vt intra suos quisque parietes peregrinari poßit, ibique diuidere Prouincias, et partiri terrarum Orbem, et sæculorum omnium ætates in conspectu habere, collata in angustum hæc omnia labore illustrium virorum. Et tam vili pretio venalia prostant huiusmodi monumenta, vt apud plerosque mortalium, voluisse tantùm illa labor vnus sit, incommodumve maius.

DE REBVS INVENIENDIS

Liber Vnus.



LERAQVE praecepta, et monita, multas ex vetere, recentique memoria narratiunculas, historiasque breues circa laborem eum, qui studijs impenditur, nos aliquando collegeramus. Quae cum dispersa, et dissipata in aduersarijs nostris iacerent, futurum esse putauimus, vt, nisi in ordinem aliquem, iustumque, et idoneũ adducerentur, vanus noster omnis labor, inaneque studium in rebus ijsdem olim custodiendis fieret. Itaque, absolutis tribus Libris, quos De exercitatione, & labore scribendi *institueramus, proxima fuit cura Opusculi etiam huius, cui Titulum* De rebus inueniendis *fecimus. Titulique, et inscriptionis huiusmodi causa fuit haec, quia nihil hìc agitur, quàm vt facultas, et via rerum inueniendarum tradatur, inuentioque ipsa facilior vnicuique, et amplior fiat. Totum id spectat haec nostra cura, quam in studiosorum gratiam vltro suscepimus.*

DE ORDINE

Liber Vnus.



GO quidem, non quia velim religiosissimè custodire decantatam illam in Rhetorum, Dialecticorumque scholis legem, quæ planè vult, orationis, et dictionis nostræ partem vnam positam esse in rerum inuentione, alteram in ordine, seu dispositione earum, Librum hunc De Ordine *scribere aggredior, postquam* De inueniendis rebus *ea, quæ mihi in mentem veniebant, explicaui. Potiùs autem causa quædam alia mihi fuit huius suscipiendæ curæ, ne scilicet perire pateremur ea, quæ in priuatis nostris monumentis, schedulisque et aduersarijs aliquantisper à communi consuetudine recedentia, atque ad genus attinentia hoc, fortè repereramus. Hæc, inquam, quia non perinde obuiâ cuique videbantur, antequam intercideren, voluimus oculis subijcere hominum, vt in communi luce periculum sui facerent. Quòd si minùs laudata, probataque fuerint, perierintque inter Litteratorum manus, non me quidem ipsum, sed ignobilitatem, sortemque suam accusare debebunt.*

QVÆ

QVÆ AD LINGVÆ HETRVSCÆ STVDIVM PERTINENT

Liber Vnus.



VI Titulum Opusculi huius inspexerint, non statim prima fronte intelligent, cuiusmodi sit ista tractatio, et argumentum, ideo nimirũ, quia de Italico sermone disputatio instituitur. Est enim hæc apud Italos homines diuulgata opinio, inane esse studium, quod Linguæ huic impendatur, atque etiam ei studio famam nonnullam adiunctam esse leuitatis. Atqui non caret sua difficultate, licet minimè fortasse videatur: quæ quidem latens, nec intellecta difficultas, in Linguarum etiam aliarum studio versatur. Nam affirmauere nobis homines exteri, et docti, vltroque professi sunt, multo sibi labore fuisse opus, vt ad aliquam eius Linguæ excellentiam peruenirent, quæ natiua ipsis fuerat. Immo etiam aiebant Germani, Galli, Hispani, plus sibi temporis, et operæ in excolenda patria Lingua fuisse consumptum, quàm in facultatum aliarum studijs, disciplinisque grauioribus. Potest autem inter causas huiusce difficulta-

cultatis illa quoque afferri, quòd vernaculæ linguæ quotidianus vsus apud vnamquamque gentem plurimum semper abhorreat ab Italicæ eius linguæ præceptis, quæ ad rectè loquendum, scribendumve traduntur. Inde scilicet fit, vt corrupta, et infecta rectè loquendi, et scribendi ratione, et doctrina, nouus aduersus deprauatæ consuetudinis vitia labor sentiatur; quæ semper vitia rectis legibus obstant, atque repugnant, non secus atque in omni Republica perditi homines statum, legesque ciuitatis turbant. Opinio autem hæc, et fama communis, quæ falsò inueterauit, inane esse nostræ linguæ studium, haud dubiò manauit ab frequentia ista conuentuum, siue Academiarum, quæ paßim institutæ per ciuitates occupantur versiculis pangendis, atque examinandis. Non ego quidem eò prolapsus fuerim, vt studia ista reprehendam, potiusque laudauerim summopere, atque commendauerim eiusmodi exercitationes, si quidem laudabilia, et commendanda ibi tractentur. Sed duo sunt, quæ de toto hoc genere, studioque affirmare posse videamur; alterum nimirum, quòd statim ferè orta conuenticula dissoluantur; alterum, quòd non magnopere prosint, etiamsi non ita subitò extincta, vel dissoluta erunt. Atque neutrum horum nemo inficiabitur,

tur, qui circumferendo per Italiam hanc nostram oculos, videat id, quod cernimus ipsi, natas nimirum, et sepultas Academias plerasque intra spatium hoc scilicet vitæ, in quo adhuc sumus. Præterea, cùm in eos conuentus docti sanè homines, et præditi magnis ingenijs nomina dederint, diuque, et multum ibi versati sint studio, menteque eadem, qua sese illuc contulerant, nihil tamen magnopere perfecti, et limitati ediderunt, quod responderet expectationi, et spei, quam de scriptis eorum meritò conceperamus. Cùm igitur rem ita sese habere constet, reliquum est, vt quæ causa incommodi vtriusque fuerit, inspiciamus. Ac prima sanè clamitas illa tam breuis æui, quo Gymnasia ista conciderunt, ab breuiore manauit stipendiorum, et præmiorum æuo; quæ stipendia, et præmia constituta gregalibus fuerant. Nam quamuis generosa virtutum, et nobilium artium studio mens intenta, conduci nolit, mercedemque pepigisse sordidi artificis ritu: illud tamen ex rerum natura tolli non potest, vt animus, et corpus, quo litteratorum etiam hominum vita constat, pabula diuersa sequantur, sicuti partes istæ sunt diuersæ. Ita fieri potest, vt animus quidem in scientiarum studijs altè, et opiparè nutriatur, triumphetque, et exultet, ac pars

O ista

ista deterior eodem tempore tamen, nutritu destituta suo, miserè contabescat. Quæ excelsior cura, quodve studium nobilius esse potest, quàm relicta vanitate mortalium rerum, totam intra claustra vitam addixisse cultui diuino, Deumque vnum proposuiße sibi, et ab Mundo ipso animum auocasse? Et cælestes isti cœtus tamen nisi vel benignitate quotidiana, vel perpetuis alimentis, redditibusque sustentarentur, desinerent, opinor, apparere tam crebri, monasteriaque tam multa, tam digna dilaberentur. Nunc abdita illuc, et segregata corpora, aluntur honestè rebus omnibus, quibus vita eget. At Academiæ ideo vanescunt, quia emolumenta prius, et vtilitates vanuere. Neque vtilitatum nomine, pecuniam tantummodo, argentumque designamus, sed latius, splendidiusque patet id nomen. Sunt honores, sunt priuilegia, et prærogatiua, gratia Principum est, et id genus alia, quæ apud animum generosum momenti plus obtinuerint, quàm diuitiæ, et dona: Incommodi autem posterioris, paucitatisque excellentium virorum, scriptionumque Academicarum laudandarum, et illustrium causa illa aßignari potest, quod aberrent ferè studiosi homines ab eo fine, quem sibi proposuerant, scopoque priore relicto, ad studia alia diuagentur,

vel

vel etiam impediti negotijs, studiorum sibi filum abrumpant. Magna perseuerantiæ virtus est, et quò maior, eò difficiliùs in vno quoque genere comparatur. Cùm Trilingue Collegium *instituerenus, monita, et præcepta edidimus hæc, quæ nullo modo diuulgari opportebit, quia propria illa, et singularia esse Iuuenum nostrorum voluimus, eisque proprias item, singularesque Leges scripsimus.*



LVX MATVTINA


VM Libros de Selectis Diuinarum rerum Probationibus *scripsissem, Opusculum ei lucubrationi visum est addere hoc, cuius Index quidem cernitur, argumentum verò est eiusmodi. Visio narratur, quâ senex Persa per quietem mysterijs Christianæ religionis eruditur eo ordine, vt positis sanctæ nostræ Fidei initijs quibusdam, et elementis, Capita deinde singula aliud ex alio nectantur, et re semel concessa vna, fides, et euidentia alterius necessariò consequatur. Atque ita probatis primis, secunda, et tertia deinceps, et reliqua ad eundem modum tamquam ab radice, siue fonte, tenore vno ducuntur, et manant. Poterit fortasse etiam olim ad Christianæ fidei propagationem vtile esse Opus, præsertim si effecerimus, vt non solùm Latinè, sed etiã Arabicè, et Persicè apud linguarum earum homines loquatur. Sanè sicut pessima Lutheri, et Caluini proles potuit pessimis libellis inficere, et corrumpere florentissimam, atque maximã Europæ partem, idque spargendo in populos mendacia, et scelera sunt assecuti: ita nobis danda opera est, vt veritati fidem, et auctoritatem non solùm leuibus hisce, sed maioribus quoque subsidijs adstruamus.*


DE

DE CABALISTICIS INVENTIS
Libri Duo.



ONAS horas perdere cùm in omni re inutile eſt, tum in Artium præſertim, Scientiarumque ſtudijs, vbi diuturni laboris, et aſſiduæ meditationis neque fructus, neque vmbra vlla ſuperſtes manet. Ideo ſpeculationum inania maximè fugienda ſunt, deteriora ſcilicet otio, quia turbant quietem, quæ vel fructus aliquis animi eſt, vel certè ſolatium, corporiſque refectio. Quapropter nobis faciendum eſſe viſum eſt, vt noſtram primùm mentem liberaremus ea moleſtia, qua torqueri oportebat, ſi Cabaliſtarum arti fides vlla eſſet, deinde aliorum etiam ſanaremus animos, ſi qui eſſent, quos vanitas iſta ſolicitaret.

DE
GRATIA PRINCIPVM
Liber Vnus.



EQVE ætas, et præsens mea conditio, curaque, et munus mihi iniunctum, neque anteacta vita, et mores credere quemquam ſinunt, gratiam nos aucupari Principis alicuius, hominisve priuati, eoque ſtudio Librum hunc ſcripſiſſe, quo nundinas eiuſmodi exerceremus. Intelligo enim, et ita ſtatuo, ſtudia, curaſque humani animi vtilius, atque honeſtius occupari in demerenda hominum beneuolentia, quàm in adeptione bonorum, quæ inde prouenire poſſint. Ad alienam igitur vtilitatem ſcriptus eſt hic Liber, et eorum præcipuè, qui ad aſſequendam Principum gratiam merita aliqua, virtutemque habebunt. Nam quibus nihil tale aderit, abſtinere poterunt huius lectione Libri, noſque nullo modo vellemus, fructum hinc ad eos aliquẽ peruenire. Principum enim beneuolentia collata in indignos, venenum eſt maximum, cuius tollendi potiùs, quàm fouendi, exquiri, tradique artem decet.

DE

DE ADDISCENDIS SCIENTIIS AD COMITEM FEDERICVM BORROMÆVM

Liber Vnus.



VM exigui huius Libri conscribendi cura animo meo incessisset, recordatus sum loci, quo Isocrates orationum suarum vnam orditur, tantique senis etiam auctoritate confirmatus sum, vt id, quod proposueram, exequerer. Is namque Isocrates, sicuti notum et peruulgatum est, Nicoclem orationis eius initio ita affatur; salutaris consilij copiam, quam ipse ei per litteras afferre tentaret, donum esse maius, vtiliusque, et honestius, tum danti, tum accipienti, quam si pretiosa vestis, aurumque, et laborata metalla Principibus de more exhiberentur. Scilicet nos quoque consanguineum hunc nostrum consilio aliquo iuuare, honestius duximus, quam si in eum accumulare conaremur opes, et quæ alia plerique amant. Scribentibus autem ista nobis, solicitudo fuit ea, isque amor; quo amore,

Non diuulgabitur Opus.

ac

ac solicitudine fouentur primæ arbuscularum spes, vnde fructum aliquem sibi quispiam expectat. Ac tantò maiore cura debuimus in hoc Opus intenti esse, quantò magis præstat homo virgultis, et quò nobilior est animus, quàm arbusta, et stirpes. Inerunt huic Operi præclara, et exquisita quædam, tantòque præstantiora, quantò magis experientia vsuque ipso vtilitas, damnumve talium rerum monstratur. Librum ipsum diuulgari non attinebit, ideo fortasse, quia non omnibus necessaria ista erunt, et nobis quoque cauendum est; ne in vno, eodemque genere cumulare Libros videamur. Neque enim tanti facimus scripta hæc nostra, quibus absque detrimento vlla Litteraria res carere potest.

MVSÆVM.



E ipso Musæi nomine quæstionem inijcere nullam volumus. Controuersia enim sublata omnis erit, si dixerimus, Musæum, nihil aliud nobis esse, quàm illustrium Operum sedem, Picturæ scilicet, et Statutariæ Artis.

DE

DE SACRIS LIBRIS THEORETICIS

Liber Vnus.



D excolendi spiritus disciplinam, magnus esse magister poterat hic Liber, si rectè à nobis, et perfectè compositus fuisset. Eam certè vtilitatem, piumque fructum nostra qualiscumque industria spectauit. Quæ vtilitas et fructus si fortè hæc scripta sequetur, multos vtique, et sapientes in spiritus disciplina magistros dederimus. Nam, si vnius optimi Libri lectione, doctus aliquis effici potest, quid multi simul Libri non efficient? Sed, vt in ipso Operè posui, adhibendus labor est ad scientiam consequendã, et ad tam magnam, sicuti Theorica spiritualis habetur. Verum, accidit illud, vt laborem hunc ferè omnes fugiant.

INORDINATARVM COGITATIONVM

Liber Vnus.



NORDINATORVM hic Titulus adhibitus est, non vt confusa, et perturbata quædam, et minus honesta polliceremur, sed ita Librum inscripsimus, vt ostenderemus, nullo inter se vinculo res esse connexas; ideoque sparsim, et nullo ordine coniectas in Librum. Sunt autem sacra cuncta, quæ Liber hic habet, argumentumque Libri sacrum, sed varium idem, atque dissipatum. Neque hoc scribendi genus contemnendum erit, cùm nobilis Philosophi exemplum habeamus. Aristoteles enim, profani licet argumenti, duodecim Inordinatorum Libros scripsit, quemadmodum testatur Laertius.

DE NVMERIS PYTHAGORICIS, VEL DE SCIENTIA NVMERALI Libri Tres.




SI *dicerem, hosce Libros partum, et fructum aliorum esse librorum, quos* De Cabalisticis Inuentis *iam antea conscriptos habebamus, neque falsũ dicerem, et admodum propriè loqueremur. Verè item dixerim, quo animi calore, quibusve stimulis ad perquirenda Cabalistarum secreta exarseram, eadem flamma, eodemque instinctu, nec alia vlla re me esse commotum, vt Pythagoricus quasi Philosophus fierem, numerica mysteria Pythagoræ ipsius inuestigando. Mira de Numeris hisce feruntur, inuenìesque nonnullos, qui talibus posse numeris censeant aliquem euadere doctissimum, et repleri scientiarum disciplinis. Inde studium oritur cognoscendi Numeros; cùmque ea cognitio, nec temporis exigui, nec parui laboris sit, teritur inutiliter tempus, quod tam pretiosa res est, acutoque*

ingenio præditi homines, absque fructu vllo, vel potius magno cum detrimento ibi horas perdunt. Interim enim studia grauiora, melioresque Libri relinquuntur, ac ferè habentur odio, propterea quòd illecebra curiositatis huius inualescit.



DE

DE LVCVBRATIONIBVS PASTORALIVM VISITATIONVM.



LVRIMA sanè Monumenta Tabularijs nostra huius Mediolanensis Ecclesiæ consignauimus, quæ cùm ad eiusdem ornamentum, et vtilitatem maximè pertineant, non est, cur à nobis hoc loco nominatim singula recenseantur, Verùm, cùm eiusmodi Monumenta in communi Ecclesiæ Mediolanensis Archiuio extent, si omnis eorum mentio hoc loco prætermittatur, suspicio aliqua oriri posset, vel nequaquam nostros eos, prout exponemus, fuisse labores, etiamsi Codices ipsi nostri nominis inscriptionē præferant, vel nulla à nobis memoria, et cura dignos esse iudicatos. Id verò facilè posse contingere, credendum est, cùm subiecti omnes, et ipsa hominum natura, tam procliuis sit ad tradenda obliuioni instituta, et leges, quæ vinculum aliquod, et rerum agendarum aliquam necessitatem imponendo, partem adimant eius libertatis, quam tantopere amant homines, et nimia alacritate sequuntur. Ob eam rem igi-

tur,

tur, eamque causam putauimus, nobis esse faciendum, vt exponeremus quemadmodum intra tot nostræ Pastoralis curæ annos circumeundo ac lustrando Diœcesim, pleraque volumina Visitationum, siue Decretorum confecimus; eorumque voluminum numerus etiam tradetur, vt hac quoque diligentia custodiam adiuuet, ne memoria exolescat, sicut et in generis huius scriptis, et in alijs ferè contingit. Duplex genus est Codicum, et voluminum, quibus Pastorales nostræ visitationes continentur. Pars namque vna statum Ecclesiarum, descriptionemque accuratam, et minutam habet; altera Sanctionibus, et Decretis ad Ecclesiam vnamquamque factis, consumitur. Pars autem vtraque, cùm obiremus ipsi Diœcesim, confecta est; ac si quid fortè deerat, absolutum deinde est post reditum nostrum in vrbem. Ad Leges, et Decreta quod attinet, illud affirmare possumus, singula, quæ momenti aliquid habent considerasse nos, et instituisse ita, prout extant. Cætera verò, quæ vel curæ minoris, vel communi quodam vsu posita erant, Ministri, nostro item iussu, disposuere suis locis, ita vt res vnaquæque rectè, et ordine congrueret ad Conciliorum disciplinã, quæ tum Diœcesana, tum Prouincialia, sancta hæc Ecclesia Mediolanensis varijs temporibus

celebrata habet. Maximi sanè laboris opus, si quod aliud vnquam nostrum fuit, scilicet ob itinerum pericula, assiduamque defatigationẽ, quæ solitas omnes in scribendo molestias longè superauit. Ac nostram hanc vtique visitationum Bibliothecam (sic enim meritò appellari potest) instituendo, et conficiendo, plus difficultatum experti sumus, quàm cum Ambrosianam illam alteram ad publicam vtilitatem instituerémus. Qui nostri visitationum labores, si fortè minùs vtiles, ac fructuosi reperti erunt, Codicesve ipsi perierint, nihil aliud reliquum erit, quàm vt ægrè admodum feramus, et minima nostra merita incusemus, deprecando tamen eos, qui nobis in huius Ecclesiæ administratione successuri erunt, vt constantes esse velint in hoc Pastoralis solicitudinis, et industriæ genere, quæ Christi ouiculis magna solatia semper, et vtilitates allatura est. Codices nostri, quos, tum statum Ecclesiarum, tum Decreta continentes, Archiuio huic asignauimus, octoginta sex erant, cum ista scriberemus.

MO-

MONVMENTA ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS.



ECCLESIA Mediolanensis mirificè exculta est optimis Decretis, et sanctis Legibus, Concilijsque, tum Prouincialibus, tum Diœcesanis, atque in eo genere sanctimonia Sancti CAROLI *perinde quàm fortasse in vlla alia re, maximè elucet. Sed quia quotidianæ necessitates, et semper alij super alios in Pastorali solicitudine casus, necessario interdum à Pastoribus requirunt Leges, et Decreta simillima prioribus decretis, quæ vel confirmari, vel declarari sic oportebat, ideo nos quoque necesse habuimus, alijs alia temporibus instituere, ac sancire, prout variæ vtilitates, causæque postulabant. Post multos inde annos, studia hæc nostra, laboresque recognoscere voluimus. Id vt fieret conquirenda vndique Monumenta fuerunt, non parua sanè nostra molestia, et cura, propterea quòd Monumentorum eiusmodi pleraque vix inueniri potuerunt. Ideo, hæc quoque difficultas satis, et meipsum, et huius curæ participes alios docere potuit, quid faciendum in re tali*

esset,

esset, vt nempe cuncta in Librum vnum illigaremus. Ac si in re tam seria, lepidum illustris viri factum referre licitum est, narrabo id, quod et alijs vtilitati, et nobis exemplo esse possit. Cùm Principis Legatus apud aliũ Principem inciperet rem eam agere, cuius rei causa, missus erat, deprompsit è sinu litteras, et libellos, et scripta mandata, quæ habebat. Ea filo (sicuti moris est) ligata cùm essent, excusans paulò inurbanius factum, dum fasciculum eum solueret, subrisit leniter, petijtque à Principe illo, vt sibi veniam daret. Stultas enim aiebat esse litteras, et fugere nisi ligarentur. Nos quoque nectere vincula voluimus hisce Monumentis, quæ tamen procedente tẽpore, fugitura sint necne, nihil certi habemus. Argumenta rerum Volumine isto comprehensarum, hæc sunt.

De Synodis.
De foro, ac Tribunali Ecclesiastico.
De Cleri Disciplina.
De his, quæ spectant ad mores Populi.
De Monialibus.
De Sacramentis.
De Beneficijs Ecclesiasticis.
De Erectionibus varijs, Regulis, atque Institutionibus.
De varijs Edictis.

Porrò, Capitum horum vnumquodque exemplar Litterarum, Scriptorumque amplectitur; quæ cuncta nomine vno, Monumenta Ecclesiæ Mediolanensis *appellauimus*.

MONVMENTA
SACRA.



OLVMEN hoc, planè diuersa res est ab Volumine alio, cui Titulum fecimus, Monumenta Ecclesiæ Mediolanensis. *Alterum enim continet ea, quæ ad Mediolanensem tantummodo Ecclesiam pertinent; alterum multa quidem sacra Monumenta amplectitur, sed nequaquam vnius argumenti. Hoc ego Volumen institui, vt pleraque custodirentur, quæ mihi ad manum erant, et digna videbantur, quæ ab interitu vindicaremus. Ea item omnia coniecimus in corpus vnum, existimantes, posse composito sic velut agmine, resistere insidijs, et tempori, cuius diurna, nocturnaque tabe nostra mortalium opera, et labores absumuntur.* Res *porrò ipsa, an aliquid habitura sit vtilitatis, intelliget quisquis Indicem hunc, siue Catalogum inspicere volet. In Volumen istud pleraque varij generis, argumentorumque diuerso-*

rum

rum coniecta sunt. Coniecimus in primis eò plerasque Sanctorum vitas, quarum retinendā esse memoriam putauimus, non solùm, quia sacris Monumentis honor hic deberetur, sed etiam, quia magna ex parte ex ipsis Martyrum actis depromptas eiusmodi narrationes censemus, idque probabilibus coniecturis inducti. Qua de causa honos insuper hic habitus est, vt nostris quoque Notationibus excolerentur, quæ subinde confirmabunt hoc ipsum, quod de Monumentorum huiusmodi antiquitate proposui. Nam sicuti difficile est, rem falsam ita effingere, et ornare coloribus, vt pro vera accipiatur: ita pari, et fortasse maiore difficultate veritas occultatur, quæ facis instar effulget vndequaque, splendoremque suum latè fundit. Indicem argumentorum frons ipsa Operis præfert.

DE VITA CONTEMPLATIVA, SIVE DE VALETVDINE ASCETICA

Libri Duo.



VM Aduersaria mea, schedulasue euoluerem, occurrit mihi Codex, quem de varijs Argumentis, Scopisve scientiarum aliquantò antea conscripseram. In eo Codice locos, et Capita quædam inueni præparata in id argumentum, si quis scribere, ac præcipere vellet, qualem oporteret eorum esse vitam, qui in contemplatione, et litterarum studio versantur. Hunc euoluendo Codicem, quem diu non attigeram, inueni, dictasse me olim, et scripsisse plerasque Libri eius partes, cui scribendo siluam rerum alijs, ordinemque proposueram. Dies vtique, et tempus artifex, magisterque est rerum etiã earum, quas antea perficere se posse aliquis desperasset. Attigeram ego quidem, varièque pertractaram argumentum hoc De Vita Contemplatiua, siue de Valetudine Ascetica, *in ijs Libris, quos* De Exercitatione, & labore scribendi *composuimus. Cæterùm, pleraque supererant*

intacta adhuc, et nullo nostrorum Librorum loco pertractata, quia scilicet scribenti mihi nō venerant in mentem. Has colligere reliquias, et in vnum conferre volui, addidique insuper desumpta quædam ex Arabicis voluminibus, quæ in Bibliotheca nostra Ambrosiana adseruantur, atque ita, dum congerimus pleraque, et coaceruamus, quasi præter opinionem, expectationemque nostram, hi repente Libri extiterunt. In quarum rerum tractatione, si quis fortasse nimium fuisse me liberalem, prodigumve bonarum horarum, et laboris incusauerit, responsum hoc accipiat, per huiusmodi curas, et labores, gratiam me referre Contemplatiuæ Vitæ, et litterarum studijs ob beneficia, quæ inde accepi. Fateor enim, post diuinam benignitatem, fontem omnium bonorum, debere me ijs exercitationibus, et prosperam valetudinem, et vires ipsas, et longiora fortasse vitæ spatia, minusque molesta, quam ad hunc diem fuere. Idque apertè, et liberè profitemur, licet susurrantes ex diuerso nonnullos audiamus, vulgatum illud, studia, et meditationes, surdam esse limam, insalubremque aurā, quæ spirat è libris; nec reputāt isti interim insalubriorem esse aurā, quæ ex mensa hauritur, quoties structa patinis fuit. Pestifer sanè fumus est, quē patinæ mittunt.

IDIOTA,
SIVE
DE ORATIONIS
FACILITATE.
Liber Vnus.


EC solus ego, nec primus vtor hac inscriptione Libri, quem Idiotam appellamus: sed Titulum adhibuimus hunc exemplo, et imitatione nonnullorum, qui si minus primas, secūdas certè, vel tertias inter Scriptores tenent; et vnicuique prӕterea maximè liberum ac solutum fuit, arbitratu suo Libros inscribere; et obrectatores etiam, et inuidi licentiam hanc pertulere semper, dummodo cӕtera ipsis arriderent. Liber iste de Oratione agit, propositumque mihi est, vt expeditior ac facilior precandi via tradatur, et fiat; idque pijs omnibus fore gratissimum existimaui, quorum et necessitas, et desiderium esse hoc videtur, vt hӕc precandi disciplina minus difficultatis, et negotij habeat. Idiota, quem loquentem facimus, loquitur ex conditione sua, ac licet de re altissima loquatur, humilis tamen sermo ipsius est, atque in ea humili-

mili-

militate persistens, fortasse ab decori legibus non valde recesserit. Opusculum adeò tenue est, ut fortasse Libri nomine appellari non debeat, nisi respiciamus veterum exempla, qui Libros pari, vel etiam minori mole citra dedecus ullum scripsere.

DE SACRIS, ET SOLITARIIS PEREGRINATIONIBVS

Libri Decem.



EPLORAVIMVS in nostris Scriptis alibi cladem eam, quòd temporum iniuria perierint Litteræ, quibus Vitæ Sanctorũ traditæ erant, quibusque præsertim continebantur Acta Christi Militum, qui sanguine testatam reliquere virtutem suam, et religionem simul, quam defendendam, diuulgandamque susceperant. Iusta omnino est querela, iustusque dolor, quia illustria monumenta non ampliùs extant, de quibus, tamquam accendendi desiderij nostri causa, meminere Iosephus Hebræus, et Iustinus Martyr, Clemensque Alexandrinus, et Eusebius Cæ-

Cæsariensis. Non tanta florum, herbarumque varietas prouenit ex inculto etiam solo, quod pedibus calcamus, quantam exemplorum vim omnis generis tulere semper tempora, ætatesque hominum, si tamen rectè, prudenterque colligantur. Sed quemadmodum plurimæ vtilitates pereunt humano generi, quas Natura parens nobis afferre vellet, neque fructus vllus earum sentitur, proptereaquòd in saltibus auijs, cauisque vallibus ea Naturæ munera delitescũt: ita ex dictis, factisque mortalium pulcherrima in dies exempla gignuntur, quæ velut herbæ, et flores, vbi ad maturitatem suam peruenêre, languent inde paulatim, et ignota contabescunt. Nos, vt huic malo obuiam iremus, tam in hoc Opere, quàm Scriptis alijs nostris studuimus ea tantùm recensere, et custodire, quæ exploratè comperta haberemus, quæve vel salubris exempli, vel exquisitæ doctrinæ fructũ afferre possent. Quòd si tam in hoc negotio, quàm in alijs quoque rebus infirmitate aliqua iudicij lapsi erimus, non vtique turbabimur, atque indignabimur, si reprehensi fuerimus vel ab ijs, qui plus videant, vel etiam ab ijs, qui nihilo plus iudicij habeant, taliumque reprehensionem eadem propè facilitate feremus. Narratio tota hæc sacrarum rerum est, poteritque nonnullis

ſaltem fructui eſſe; quandoquidem, ſicut in cibis, ita etiam in Libris ſuperbum eſt optare, vt palato cuilibet arrideant, promiſcuèque omnibus probentur.

DE PERENNI ORATIONE, VEL MEDITATIONE

Liber Vnus.



RINCIPIO *Libri huius dictum eſt, alios nos ſcripſiſſe Libros, qui Titulo quidem, et Indice parum differunt ab hoc ipſo, quem* De Perenni Oratione, vel Meditatione *ſcripſimus; argumento autem, et re ipſa multum differunt; planèque diuerſi ſunt. Nunc de toto hoc Librorum, atque Diſputationum genere illud monemus, ita inter ſe eſſe connexas, vt alia alijs manum tendant, auxiliumque polliceantur, ſi tamen res à nobis ita tractata erit, vt hoc ipſum, quod profitemur, exitu non fallat euentus; quod ſæpè accidere ſolet, ijs præſertim, qui Libros componunt.*

DE ACTIBVS PRVDENTIÆ Libri Quatuordecim.



A est magnitudo Tituli, quem Libro huic præposuimus, isque Titulus tam varia argumenta recipit, vt amplissimo Volumini præponendus fuisse videatur, si quidem id præstare vellemus, quod ipse prima fronte pollicetur. Pluribus quin etiam Voluminibus, multifariamque diuisis præponi debuerat. Nam si spectare velimus ea omnia, quæ in prudentiam cadunt, eique virtuti subiectam materiam intueamur, tam longè, latèque diffusa est, vt historias omnes tam profanas, quam sacras amplecti, et continere posit. Tantaque esset copia rerum, vt, quod sæpe in omni sermone, sæpeque etiam in scribendo temerè dicitur, id nos verè affirmare possemus, ex copia nempe inopiam, pauperiemque oriri. Id haud dubiè sequeretur, si ex veteris memoriæ monumentis, quæ extant, et manibus hominum teruntur, exquisitissima quæque exempla, casusque, et euentus rerum ordine describerentur. Magnus enim disputandi, et disserendi campus ita sese aperiret, si ad eam


curam,

curam, et laborem prudentia adhiberetur hæc ipſa, de qua ſermo hic eſt inſtitutus. Inſuperque nihil aliud fieret, quàm vt ſemel ſcripta tranſcriberentur iterum, atque certo quodam ordine diſponerentur, nec alia vlla vtilitas conſtaret. Nos igitur ancipitem hanc, lubricamque curam effugere voluimus, quæ prudentiam iudiciumque fortaſſe maius poſtulatura erat, quàm quo eſſe instructi videmur. Ita Liber hic paucißima continebit eorum, quæ Libris alijs continentur, quæve alij cum laude collegere. Quòd ſi quis plura requiret, non deerunt Libri, vnde haurire poſſit quantumcunque volet. Quòd ſi etiam hæc ipſa, quæ attulimus, nequaquam omnia probabuntur, excuſatione digni erimus ea, quâ hoſpites etiam, et viatores contenti eſſe ſolent, cùm in ſteriles terras deuenere; verbum enim ferè iſtud audiunt, regionem, et agrum lautiorem copiam, deliciaſque maiores minimè ſuppeditare. Ita nos ſi vetera omittere vellemus, quemadmodum fecimus, eaque tantùm afferre, quæ noſtris in terris facta, vel dicta cognoſcere ipſi poteramus, copiam dare maiorem nequiuimus. In narrationum autem ipſarum delectu, primùm omnium honeſtati, ac dignitati conſuluimus, ne ſcilicet fœda, vel abſurda, vel ridicula miſceremus, ſicut alios fe-

cisse nonnullos scimus. Nomina verò ipsa cur silentio inuoluamus, atque supprimamus, excusatum alibi quoque in nostris Libris puto; nuncque item excusabitur ea ratione, quòd plerique reperiantur non solùm fastidiosi et superbi, sed prudentes etiam, qui nomen suũ nullis immisceri litteris velint, nisi re prius cum ipsis communicata, et tractata; idque nostra præsertim ætate Scriptoribus alijs fuisse molestum apparet, dum ponere nomina verentur absque eorum auctoritate, quos nominare volebant. Ideò, difficultate hac inducti, remedia quædam excogitauere, quibus id incommodũ sanarent. Neque verò statim reprehendendos esse arbitror huiusmodi homines, qui nomina inseri sua litteris alienis nolunt. Nam consilia, sensusque hominum cuiusmodi sint, vix vnquam diuinare contingit, modestiaque, et quam vulgo discretionem appellant, vix vnquam vllo loco superuacanea esse reperietur. Vase quinetiam admodum angusto, et arcto apud Scriptores vtramque inclusam cernere videmur, sicut nostrorum aliquis dixit, dum Italicè somnium describeret prudentia plenum, et salis. Paucosqe omnino reperias, qui ex huiusmodi vasculo non solùm haurire, sed modicè libare liquorem eum velint. At Sanctus Pater Ambrosius tantopere

mo-

modeſtiam hanc amauit, vt cùm Libros ſuos ille Sabino Epiſcopo Placentino recognoſcendos dediſſet, petierit ab eodem Sabino, vt Epiſtolarum ſuarum Libris cum bona eius venia inſerere poſſet epiſtolam, qua idipſum narraret, quòd nempe Libros ſuos eidem Sabino emendandos tradidiſſet. Potiùs autem debuerat Sabinus ipſe ab Ambroſio Pontifice veniam petere, ſi mentionem de ea re facere aliquam voluiſſet. Nam hoc ipſo, quòd aliquis cenſorem, et magiſtrum ſe ſe Scriptis alienis præbeat, ſuperiorem ſe eſſe profitetur, neque decet eorum ſcripta retractare, qui nos antecellunt, niſi ipſi annuant.



DE

DE AMORE CÆLESTI Liber Vnus.



E Opusculo hoc, cui Titulum fecimus De Amore Cælesti, *vnum præfari necesse habemus, eos videlicet, qui è superiore loco populum alloquuntur, quoties vti velint meditationibus, locisve quibusdam suis, siue ad reprehendenda vitia, siue ad tradenda documenta virtutum, experiri semper, ac sentire quàm difficilis eorum locorum vsus sibi fiat apud Dei seruos, et studio contemplationis accensos, deditosque studio vitæ perfectioris. Tunc, inquam, et Concionatores ipsi difficultatē experiuntur, et Auditores quoque damni nonnihil inde accipiunt. Non enim aptus palato, siue stomacho omnium cibus ille est. Quæ cibi, et stomachi mentio, quoniam incidit nobis, illud quoque dicemus, optabile debere esse cunctis Oratoribus, vt eodē modo affectos auditores, cibumque poscentes vnum haberent. Vtilitates enim inde plurimæ consequerentur, tum Oratoribus ipsis, tum ijs, qui audiendi causa conuenere. Ac si de nostra quoque consuetudine in dicendo citra ostenta-*

tionis

tionis reprehensionem dicere aliquid liceat, semper ego ægretuli, quotiescunque varios audientium mores, habitusque animorum, et conditionem intuerer. Non enim poteram ego apud variè sic affectos, locum tractare aliquem parti alicui vtilem, atque aptum, quin eodem tempore pars alia concionis ferè langueret, et offenderetur. Nunc leuiter ita digressus, dicā qualescunque futuri sint isti Tractatus, illud certè habituros esse apti, et accommodati, quòd res continent omnino proprias auditorij, concionisque eius, apud quam ista dicebantur. Inde scilicet fiet, vt ferre satis æquo animo possimus, si præterquā sacris Virginibus, quæ suam inter claustra vitam degunt, nemini ista probabuntur; idque nostri Operis vitium tolerabile erit. Quin etiam ne Titulo, reve alia decepti aliqui secus opinentur, profiteor ita ego, ac denuntio, multos fore, quibus ista non placeant; satisque præclarè cum scriptis hisce actum iri, si religiosis quibusdam, et intra claustra viuentibus vtilia, et iucunda ex parte erunt.

DE

DE ROTA HARMONICA, SIVE DE TABVLIS HARMONICIS

Liber Vnus.

Non diuulgabitur Opus.



OCTIS, eruditisque nihil opus erit hoc nostro Libro; minimè verò doctis nostra hæc cura minimi etiam fructus, vtilitatisque erit, vel etiã fortasse nullius. Id scilicet causæ est, quòd illustrium ingeniorum scripta pleraque nihil vtilitatis attulerint. Vt enim ferire, et recidere, et truncare possis, non solùm gladio acuto opus est, sed brachio etiam, quod commodare alteri nequeas, cùm gladium vtique commodare possis, sicut in re dissimili dictum est. Opusculum hoc diuulgari non attinebit, cùm ea ferè contineat, quæ doctis hominibus nota esse arbitramur; ipsique auxilia etiam maiora sibi comparare poterunt. Indoctis verò, vtì dicebam, nullo ferè vsui esset; ac tantò minùs edendum esse Librũ censui, quia videbam ingenia hominum esse eiusmodi, vt in quibusdam rebus lacessi, et irritari pro nobilitate insita nolint. Quòd si

Mar-

Marcus Tullius, cùm superbum esse iudicium aurium dixit, de animi iudicio interrogatus esset, maiora sanè de eo sensisset, atque respondisset. Non alia planè causa est, cur inuentores, et artifices alioqui nouarum artium, nouarumque viarum ad artes, minimè felicem exitum habuerint. Dum enim gratificari se ingenijs putarent, vulnerauere ea delicata nimium, ne superba dixerim, partemque vulnerauere eam, quæ acerrimum, acutissimumque sensum habet. Si dies mei, tamquam in angusto vase copiosi latices, laboribus hisce superfluent, in animo habeo tractare noua quædam inuenta, quæ homines alij scriptis suis adumbrauere, ibique enitar, vt præclara quædam inuenta in faciliorem vsum adducantur, atque in eo partes geremus hominis, qui ad scientias, litterasque excollendas, Commentarios, Notationesque afferat.

DE MIRACVLIS GENTILIVM

Liber Vnus.



ALE inter se prima fronte coniungi videntur hæ duæ voces, Miracula Gentilium; *quod perinde est ac si dicas, falsam fidem, et vera testimonia; amicitiamque Dei, et inimicitias; et cælestem, tartareumque fauorem. Sed eum, qui inscriptionem istam inspexerit, oportebit cunctari paulisper, ne sententiam ferat, antequam initium Libri saltem perlegerit; nam vt totum perlegatur Volumen, exigere nimium esset. Sanè scribentibus Libros periculosa hæc, et ob naufragia infamis Syrtis parata est, dum Indicem eis, Titulumve apponunt. Is veluti gladius anceps legentem primò, deinde scribentem etiam ferit. Nos in hoc Opere studuimus examinare casus quosdam, vt succum deinde exprimendo, si fieri posset, indagaremus quid rei esset, quidve de eorum natura, et conditione verè sentiendum.*

DE
SVIS STVDIIS
COMMETARIVS.



NDEX, Titulusve iste Commentarij, nonnullam ex Plutarcho imitationem habet, qui Scripta sua nonnulla, Commentarios, siue Commentationes appellauit, vel propter breuitatem Opusculorum, vel quia carebant eo fortasse ordine, quem ipse desideraret. Ac sanè, quod ad breuitatem attinet, eam excusare alicubi voluisse videtur, cùm Opus aliud, Commentariolum, aliud, Breuiarium nuncuparit. Nobis verò hanc Commentarij inscriptionem iustam, atque legitimam facit etiam res ipsa, cùm apud veteres Commentarij dicerentur, quibus singulorum hominum facta narrabantur, sicuti legimus apud Tacitum, Agrippinam matrem Neronis scripsisse vitam et casus suos, idque Scriptum, Commentarij nomine postea appellatum fuisse.

DE PRIMIS RERVM NOMINIBVS

Libri Duo.



LIBER hic, sicut ipse Titulus indicat, complectitur sinu suo varium, communeque argumentum. Verba namque si ex natura sua, communiterque considerentur, nullam certam sedem, domiciliumque, et patriam habent, sed per omnes regiones vagantur, simulque peregrina, et domestica gentium omnium sunt. Sed varia vtique seges argumentorum ibi continetur; quã varietatem, neque nos affectauimus, neque fugimus: quod si factum esset, pars optima et pulcherrima scripti totius perire debebat, multumque de eius dignitate detractum foret.

CYPRIA SACRA,

SIVE

DE HONESTATE, ET DECORO Ecclesiastici moris.

Liber Vnus.



SCRIBENDI Libri huius consilium ex eo mihi ortum est, quòd legendis aliorum Libris, qui religiosos mores accuratè tractauerũt, videbam credere ipsos, non inutiliter se consumere tempus, si quædam etiam minuta persequerentur. Horum ego scripta cùm legerem, aiebam, et prudentes fuisse scriptores, et sanctos, ideoque non errasse, dum in suis Libris talium morum imagines subtilissimè effingere studuissent. Nostrum hunc Commentariolum Latino tantùm sermone prodire in manus hominum voluimus, ne si ad vulgus imperitum perueniret, cognoscerent illi, si quid in Ecclesiasticorum moribus aliquando peccari solere demonstraremus. Ideò, placet nobis hunc Librum, si quis eo vti volet, esse penes eos, quibus ea quoque pars prudentiæ erit, vt in bonam partem accipere poßint ea, quæ dicta erunt. Illud verò affirmamus, nobis fuisse propositum, vt de-

decoro huic consuleremus, non ut alia quaedam assequeremur. Obscuritatis fortasse nonnihil habere videbitur Titulus ipse Operis; sed obscuritas tamen omnis sublata erit, si meminerint homines, pro Venere, et Dea Cypri, quod stultae antiquitati Numen fuit, apud optimum quemque Scriptorem designari non praesidem eam libidinum tantummodo, sed lepores omnes gratiamque, et venustatem. Ita inter Pictores etiam aliqui plus, minusve habere veneris dicebantur, eamque palmam magnus Apelles sibi vindicabat. Hinc Tituli nostri ratio satis clarè, dilucidèque patet; neque est cur pluribus explicetur.



DE

DE LAVDIBVS DIVINIS Libri Tres.



VM argumentum hoc De Laudibus Diuinis *ego ſuſciperem, memor fueram loci vnius, qui apud Sanctum Dionyſium Areopagitam, Libro de Diuinis Nominibus, Capite quarto, eſt de Sancti Ierothei Libro, quem ille* De Laudibus amoris *ſcripſit, Hymnique eiuſdem Amatorij ibidem memorantur. Ea ſanè ſcripta tantam rerum dignitatem habere debuerunt, vt nihil altius, neque nobilius deſiderari poſſet. Porrò ego, cùm eiuſmodi Libros periſſe reputarem, ita vt vix tenui auditione conſeruarentur, non poteram facere, quin eius iacturæ dolore cruciarer. Vtinam, communis vtilitatis cauſa ſuperſtites eſſe potuiſſent Libri, ad quos legendos ſumma cum veneratione accederemus: ſed magno noſtro, tum damno, tum dolore perierunt. Et credibile eſt, patefacta ibi fuiſſe cæleſtis amoris arcana excelſa, ex quibus tamquam ex perenni, et vberrimo fonte copia diuinarum laudum ingens manaret ad infinitæ Potentiæ, Bonitatiſque manifeſtationem. Titulus*

lus, quem huic operi dedimus, poterit ſanè ingenijs omnibus eſſe terrori: ſed rurſus eadem hominum ingenia poſſunt hoc ipſo confirmari, ſi conſideretur, lucem eam, quæ per ampliſſima Cæli ſpatia diffuſa eſt, anguſtos etiam noſtrorum oculorum orbes, tamquam alterum Cælum ingredi, atque inſidere, vt fructui nobis ſit, et voluptati, ſimulque meminerimus, breues hoſce oculorum circulos non plus capere lucis, quàm quod vitæ miſterijque neceßitas admittat, ita ſcilicet, ne captum eorum exuperet.



DE

DE FABRICATIS OLIM TYPIS ORBIVM CÆLESTIVM

Liber Vnus.



PLVTARCHVS in Libro de Iside, et Osiride ait, Pythagoricos, cùm vellent simulacrum, formamque Cæli effingere, quo natura, qualitatesque ipsius aliquo modo repræsentarentur, pinxisse cor humanum, cordique flammas subiecisse; nimirum ita indicantes, numquam peritura esse simulacra illa, Orbesque cælestes consenescere numquam. Flammas ita pingebant, vt calorem, lumenque indicarent, quo lumine, et calore Cælum omne continetur. Figura verò cordis velut circuli formam exprimit, habetque continuum, nec sine ordine motum; motusque etiam ille fons est, et origo motuum aliorum corporis. Quæ Pythagoræorum pronunciata, minimè ego vera esse omnia assentior, potiùsque magna ex parte falsa ea esse fatemur. Illud tantùm affirmo, ingenia illa Pythagoræorum in nonnullis suis inuentis multùm elegan-

tiæ, multùmque amœnitatis habuisse. Cor itaque humanum, Cælum quodammodo paruum est. Quàm multa hoc loco elegantißimè disputari possent? Sed cùm humanis animis insita esset à natura cupiditas quædam cognoscendi Deum, Cælestiaque omnia, cœpere typos, et simulacra effingere aliqua Cæli, atque sicut ipsorum inter se hominum amor, vtì notum est, dedit effigies humanas, statuasque Deorum: ita Cælestium rerum amor hic arte, et experientia, quæ artium mater est, peperit typos globosque, et machinas cælestem fabricam indicantes. Quæ commenta mortalium diu contemplantes nos, cogitabamus simul quid nobis faciendum esset, statuimusque, non esse obliuioni tradenda ea, quæ et diuersis temporibus, et à multorum ingenijs in hoc genere elaborata essent; atque huius Libri argumentum hoc erit.

DE

DE INSANIS QVIBVSDAM TENTATIONIBVS

Liber Vnus.




IMIS peruulgatum, communeque dictum est; Quid noui affert Africa? *sed verè id ipsum etiam aptè dicitur. Nos verò ad eius dicti similitudinem, quiddam aliud non ita fortasse peruulgatum afferre possumus*; Quid noui affert animus humanus? *Tam multa monstra versantur in hoc humani animi deserto, solitudineque indiga bonorum omnium.* Recensuimus *hoc Libro nonnullas huiusmodi ferarum, aperuimusque naturam earum, et venena, vt discamus, non minùs refugere ab eis, quàm quomodo vitantur bestiæ incolæ Africæ* ***infelicis, solitudinumque, et paludum earum.***

DE

SACRARVM VIRGINVM DISCIPLINA AD FACILITATEM ADDVCENDA


Libri Tres.




AGNIS ingenijs præditi homines, atque assueti Theologorum, Philosophorumque disputationibus, fortasse dicent, melius, rectiusque fuisse me facturum, si supersedissem argumento hoc, et altiora quædam potius tractare instituissem. His ego respondere poteram aptius etiam, atque conuenientius sapientiæ ipsorum, sed facili hoc, promptoque responso vtar. Legi apud Sanctũ Hieronymum inter eius Epistolas vnam, qua puellam quandam instituere studet, idque tam sedulò, et particulatim, vt mirari liceat. Idem ad Gaudentium multa scribit de Pacatulæ infantis educatione, itemque ad Celantiã matronam de ratione viuendi. Præterea Sanctus Augustinus puellæ vni, quæ Florentina dice-

dicebatur, offert ſe ducem, et magiſtrum hiſce verbis. Veruntamen quia cùm illic eſſem, te quidem per ætatem verecundante, boni parentes, & amantiſſimi bonorum ſtudiorum tuorum, quantæ pietatis veræque ſapientiæ ardore flagrares, mihi intimare dignati ſunt, & beneuolentiſſimè petierunt ne tibi inſtruendæ in quo opus eſſet, meam operulam denegarem, admonendam te his litteris credidi, ſecundum ſupradictas opiniones, vt quæras quod vis, ne ſim ſuperfluus ſi conatus fuero docere quod ſcis. *Adde, quòd hæ noſtræ inſtitutiones à Philoſophorum, et Theologorum, ſubtilitate, atque altitudine non tantopere fortaſſe recedunt, quantopere videntur iјs, qui ſubtilitate altitudineque illa nos vellent occupatos eſſe potiùs, quàm feminis inſtituendis, quæ abditæ et ſecluſæ latent Mundo, ſiue inde exulant. Stylus verò, quo hæc ſcripta ſunt, facilis eſt, et nonnullorum fortaſſe iudicio humilis, neque tamen defenſione vlla eget. Scribimus namque ad eas, quæ licet ingenio excellerent, ſimplicitatem tamen profitentur, maluntque rudes litterarum, quàm excultæ litteris exiſtimari. Videtur huius Libri Index eò ſpectare, tamquam ſacrarum virginum tantummodo vtilitati inſeruientes, iſta ſcripſerimus.*

Cæterùm, illud mihi propositum fuit, vt prodessem præcipuè illis, qui confessiones earum audiunt, quive regimini ipsarum præsunt. Neque tamen interea ipsæ sacræ virgines arcentur, quò minus vtilitatem aliquam hinc haurire poßint. Ita Medicorum morem imitati erimus, qui ad curandum aliquem adhibiti, breuibus ægrotum quidem affantur, familiares verò, et proximos, et curatores eius accuratiùs, monent. Quæ sententia cùm animo meo sedisset, statui simul, optimum fore, si Latinè scripta hæc prodirent, vel quia aptior hæc lingua magistris, curatoribusque virginum sacrarum, vel quia multitudinem imperitam et rudem sic arceri notitia rerum arbitramur, quæ minimè euulgandæ videntur.



NO-



NOTÆ IN PSALMOS.



NESCIO ego difficiliusne sit, scribere de rebus, quas nulli antea Scriptores attigerunt, an ea persequi scribendo, quæ iam pertractata sunt, ac multorum fatigauere industriam. Digna sanè quæstio copiosa in partem vtramque disputatione, quam nos in præsentia omittentes, totiusque rei iudicium relinquentes ijs, qui legere hæc volent, vnum illud dicimus, hunc Psalmorum Librum varijs temporibus à multis fuisse illustratum, ingentique fama, et laude nonnullos in eo studio esse versatos. Atque hæc intuenti mihi, iam nunc subiicitur oculis, veluti æquor, et nauigatio immensa, quam ingredimur. In hisce Notis breuitati simul, et perspicuitati studuimus, quarum duarum partium illa vsui legentibus erit, quò magis expeditè progredi possint in reliquo studio diuinarum Litterarum, minùsque anxiè hìc immorari necesse habeant, alteram nos esse assecutos speramus, omittendo minuta pleraque, quæ vel sententiam non immutant, vel parum diuersitatis afferunt, vel futilia esse videntur, vel parum decori habere ad argumenti dignitatem; potiùsque diuinarum Litterarum maiestate indigna,

Non est absolutum Opus.

digna, et aliena erant; quæ vtique maiestas nobis curæ esse debuit, ne breuibus hisce Notis læderetur. Cæterùm, si quid erat, quo ego ad hæc scribenda confirmarer, illud certè stimulos etiam addere potuit, quòd Sanctos Doctores tanta pietate teneritudineque animi in hoc diuinarum Litterarum studio esse versatos videbam, non solùm, vt intelligerent ipsi eas, sed etiam, vt Commentarijs, Notationibusque illustrarent. Ac Sanctus Hieronymus inter cæteros, ita de se scribit. Vnde qui me subito languore percusserat incredibili velocitate sanauit: vt terreret potiùs, quàm affligeret, & emendaret magis, quàm verberaret. Itaque sciens cuius sit omne quod viuo, & quod idcirco forsan mea dormitio differatur, vt cœptũ in Prophætas opus expleam: totum me huic trado studio. *Idem Hieronymus in Præfatione ad Iosue, ait, decretum sibi esse intermori Prophetis explicandis. Et Sanctus Augustinus in Epistola centesima decima quam excepere Notarij, ait duobus Concilijs, Numidico altero, altero Carthaginensi, ibi aliquantum otij fuisse concessum ad diuinæ scripturæ studia amplectenda, sed perbreue fuisse tempus: taliaque addit,* Ante meridiem, & post meridiem occupationibus hominum teneor. Obsecro

vos

vos & obstringo per Christum, vt huic iuueni, huic Presbytero Eradio, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum. A populo acclamatum est: Iudicio tuo gratias agimus; dictum est vicies sexies. Cumque reticeretur, Augustinus Episcopus dixit: Ego charitati, & beneuolentiæ vestræ apud Dominum Deum nostrum gratias ago, imò de illa Deo gratias. Ergo fratres, quicquid est, quod ad me perferebatur: vbi necessarium habuerit consiliũ, meum non negabo auxilium: Absit vt me subtraham: tamen quicquid illud est, quod ad me perferebatur, ad illum perferatur. Ipse me autem consulat; si fortè non inuenit quid facere debeat, aut poscat adiutorem quem nouit patrem: vt nobis nihil desit, & ego tandẽ aliquando, si quantulumcuuque spatium mihi huius vitæ donauerit Deus, ipsam meã quantulamcunque vitam non dem segnitiei, nec donem inertiæ; sed in sanctis scripturis quantum ipse permittit & largitur, exerceam: hoc & ipsi proderit, & per ipsum etiam vobis. Nemo ergo inuideat otio meo, quia meum otium magnum habet negotium. *Quòd verò ad studium, consiliumque attinet scribendarum*

V *No-*

Notationum in Psalmos, quæ nunc cura occupati sumus, strenuèque pergere in animo habemus, commoti ad id sumus excitatique Sancti Patris Ambrosij exemplo, qui extremos vitæ suæ dies hoc ipso studio optimè occupari posse censuit, ac de ea re Paulinus ita refert; Ante paucos verò dies, quàm lectulo detineretur, cum quadragesimum tertium psalmum dictaret, me excipiente, & vidente, subitò in modum scuti breuis, ignis caput eius cooperuit, atque paulatim per os ipsius, tamquam in domum habitator, ingressus est, & facta est facies eius velut nix, posteà verò reuersus est vultus eius ad speciem suam. Quod cùm fieret, stupore perculsus, obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, nisi posteaquàm visio ipsa transibat. Dicebat enim in eo tempore testimonium scripturæ diuinæ, quod ego optime retinebam. Nam scribendi, vel dictandi ipso die finem fecit. Sed quidem ipsum psalmum explere non potuit.

DE

DE VERSIONIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ Libri Tres.



VI in diuinarum Litterarum studio versantur, non vno omnes itinere incedunt, sed varias studij laborisque sui vias sequuntur; quæ viæ sunt omnes laude dignæ, dummodo recta fides pietasque erga Deum regat animos. Ideo varios illos sacræ Scripturæ sensus communi cõsensu Theologorum schola comprobauerunt atque admiserunt. Præcipua laus tributa est sensui, siue interpretationi litterariæ, qui ipse sensus interpretatioque litteraria multum adiuuatur multiplici, et varia versione Bibliorũ. Sed ne versio, siue lectio ea vacillet vlla in parte, atque aberret, sedulò vtendum est trutina, siue circino, et norma, vt ad iustam dimensionem, pondusque exigatur, si quid fortè mancum, siue inæquale esset. Id causæ est, quamobrem ad variarum versionum fructum, atque vtilitatem id præcipuè requiratur, vt eruditi hominis manu tractentur, qui diuinarum Lit-

rarum sermoni longo vsu assueuerit. Non imperitorum, neque iuuenum est, sed eorum, qui diuturna exercitatione contriti, et assuefacti sint sequi lectionem vulgatam, quam sequi vtique, et amplecti oportet. Ea porrò exercitatio, isque vsus, eaque consuetudo tantì est, vt etiam in familiari quotidianoque sermone vocula vna noti hominis meliùs clariùsque sententiam eius nobis aperiat atque declaret, quàm multa verba eorum, quorum sermoni assueti non sumus. Vt autem varietate linguarum rectè vtantur studiosi homines, sciantque quantùm eis linguis tribui oporteat, existimantes nos, non omnes, licet alioqui eruditos, potuisse ei rei studium laboremque impendere, propterea quòd tota res aliquantò difficilior sit, curam hanc sumpsimus, Librisque istis Titulum fecimus; De Versionibus sacræ Scripturæ.

DE

DE
PRVDENTIA SPIRITVS,
SIVE DE
CÆLESTI SAPIENTIA
Libri Quinque.



NITIO Libri huius nonnulla à me dicta sunt de Sapientia, quid ea sit, quodve sapientis officium, et alia eiusmodi, quæ repetere supersedeo. Tantummodo quod ad Titulum attinet Indicemque Libri, affirmare non dubitem, si Scriptorum vllum genus vnquam ad sapientiæ studium propriè pertinere dici debuit, in eo maximè numero hæc etiam esse ponenda, cùm de rebus altißimis, atque supernaturalibus agatur. Liber ipse fidem faciet. De rei natura hoc habui, quod dicerem. Quod verò ad me ipsum attinet, qui tam altum, et nobile argumentum suscepi, sanè debueram esse argumento ipsi par, atquè idoneus. Sed ne plura in hanc sententiam proponendo, ineptè aliquid dicam, legant qui volent, iudicentque sanæ mentes arbitratu suo, et facilè quiescemus.

TRVTINA.

Liber Vnus.



OSTRA hæc disputatio, quæ titulum et insignia Tutrinæ præfert, si parum fortasse ponderis habebit, erit tamen venia danda, cùm occasio ipsa non maximi momenti fuerit. Erat nobis fortè sermo cùm adolescentibus quibusdam arcta nobiscum cognatione coniunctis, et de Latini sermonis proprietate loquebamur exequendo quanam esset orationis forma, quam in suo genere summæ laudi proximam haberi oporteret. In eo sermone, conuersus ego ad adolescentum eorum Doctorem non vulgari eruditione virum, dixi, debere ipsum discipulos suos docere quanã esset ea forma orationis, adolescentesque monuimus, vt magistri dicta exciperent, litterisque custodirent; quod illi se facturos promisere, isque sermoni finis fuit. Post dies inde aliquot, cùm de ea re cogitarem, visa mihi res est plena vtilitatis, simulque animus mihi motus est ad nonnulla consideranda, quæ ad optimæ orationis naturam pertinerent; nam, ne perfecta dicam, facit ea res, quòd valdè suspicari posse videmur, nihil vnquam homines vllos, ingeniave mortalium

lium tale protulisse, vt mæreretur perfecta orationis nomen. Hæc occasio Libri fuit.

NOTÆ
IN IOB.



ATRES nostri, quos Græcia, quosvè Latium dedit, tantì fecere singula verba, quibus sacra Scriptura monumenta conuersa sunt, vt ad ea ipsa verba commentationes, atque interpretationes ipsi suas dirigerent atque accommodarent; iisque tamquam argumentis firmarent ea, quæ probare volebant. Eum morem nos quoque sequi, et exprimere conati sumus, atque in magno lucro posuimus quotiescunque successit, vt ex vna, siue altera interpretatione, auctoritatem et firmamenta petere potuissemus. Atque plures etiam veterum eiusmodi interpretationum sectari cura nobis fuit. Varietates verò illas, quæ ad vulgatam versionem nihil pertinuere, omisimus, quia scilicet nihil momenti facere videbantur. Ita nimirum et probare studuimus ea, quæ scribebamus, et ab ipsa veterum Patrum auctoritate et sententia minimè

recess-

recessimus. Quin potius eam amplexi sumus, quandoquidem scilicet Patres ipsi tenuere hoc, vt sacræ Scripturæ versionum aliquam vnam sequerentur. Cæterùm, ipsas auctoritates ponere supersedimus, studio nempe breuitatis, et quia viris eruditis eæ facilè in promptu erant, facilèque iudicari poterit verâne an falsa attulerimus.

PHILOLOGICA.


Libri Duo.



IBROS argumenti huiùs scriptos iam antea habebam. Cùmque Libris ijs inserere potuissem obseruationes atque notas huiusmodi; id minimè factum est, ne scilicet actum ageremus. Hæc igitur pauca lector amicus beneuolo animo accipiet, atque fragmentis hisce arbitratu suo vtetur.


CVM





UM FEDERICVS BORROMÆVS Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolani magnum sui desiderium mihi reliquisset, id lenire conatus sum assidua pertractatione monumentorum librorumque ipsius, in quibus spirantem adhuc tanti viri imaginem intueri videor, & loquentem eum audire. In ora margineque librorum descripsi quinam libri nondum absoluti fuissent, cum ille decessisset. Tres Indices addidi, vnum, qui librorum ipsorum indicem continet; alterum, argumenta ipsa continentem; tertium de ratione quadam apta & eleganti connectendi libros atque coniungendi, vt qui eorum breuiores erunt, iustā molem efficiant. Ita grati animi signum vtcumque dedisse arbitror erga Herum, cuius memoriæ ac nomini multum debeo.

Hieronymus Alferius.



INDEX LIBRORVM



X De

De

Vnus


Li-

RERVM



RERVM MEMORABILIVM INDEX.

A



B

C

Col-

D

E

Episto-

F

G

H

I

In-

Litte-

No-

Q

R

S



INDEX
DE APTA RATIONE
connectendi Libros.



DE Absoluta Collegij Ambrosiani institutione Libri Sexdecim.

Constitutiones Collegij, ac Bibliothecæ Ambrosianæ.

Additamenta ad primas Collegij Ambrosiani Constitutiones.

Institutio, & Leges ad Collegium Alumnorũ Bibliothecæ Ambrosianæ.

Leges Collegij Trilinguis in Bibliotheca Ambrosiana.

Præcepta singularia ad Congressus Hebraicæ Linguæ.

Quæ ad Linguæ Hetruscæ studium pertinent Liber Vnus.

Notæ

De

IMPRIMATVR.

Inquiſitor Mediolani.
Anton. Ruſca Can. Ord. Theol. pro Reuerendiſs. Capitulo Sede vacante.
Comes Maioragius pro Excellentiſs. Senatu.

Errata sic corrigito.

Pag. 24	lin. 14	Scholaſtitum	Scholaſticum
61	6	potuerunt	poterunt
85	10	laƈtuoſius	luƈtuoſius
87	15	iƈtum	iſtum

Cætera prudens Leƈtor dijudicabit.